

B

*Philos*

*679*



*Antiquar. 30. 11.*

1  
Breviarium  
ETHICORUM  
ARISTOTELIS AD  
NICOMACHUM,

*autore*

M. JACOBO THOMASIO

Lipsiensi, Academiae patriae  
Prof. Publ.

*Accessit ejusdem*

ORATIO PRO ARISTOTELE,  
*adversus eos, qui negant eum rectè ju-  
venes ab ethicis acroasibus removisse:*

*itemq;*

DE VERSIONIBUS LATINIS  
NICOMACHEORUM  
Commonefactio brevis.



L I P S I Æ

apensis PHILIPPI FUHRMANNI.

Excudebat

JOHANNES ERICUS HAHNIUS.

ANNO MDC LVIII.

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

*Serenissimorum, Reverendissimi, Celsissimorumq;*  
PRINCIPUM ac DOMINORUM,

DOMINI JOHANNIS GEORGII  
SECUNDI,

S. R. Imp. ELECTORIS ENSIGERI,  
& hoc tempore VICARII, BURGGRAVII  
Magdeburg.

DOMINI AUGUSTI,

Magdeb. Primatûs & Archiepiscopatûs  
postulati ADMINISTRATORIS,

DOMINI CHRISTIANI, &

DOMINI MAURITII,

DUCUM Sax. Jul. Cliv. ac Montium,

LANDGRAVIORUM Thuring. MARCHIONUM

Misn. & utriusq; Lusat. COMITUM de Marcâ &

Ravensb. DYNASTARUM in Ravenst.

FRATRUM

LIPS. ACAD. CONSERVATORUM

eid. inspiciendæ instaurandæq;

ABLEGATIS

*Generosâ Nobilitate, summè reveren-*

*dâ Amplitudine, magnifico splendore, pacis*

*artibus, in studia pietatis ac sapientie*

*favore maximè conspicuis*

VISITATORIBUS:

# Ex Aulâ Electorali

**HAUBOLDO A MILTITZ,**  
in Scharffenberg & Oberau, SEREN. EL.  
Conſiliario & Camerario, Protosynedrii Dresd.  
Præſidi, VIDUÆ ELECT. Aulæ-  
Magiſtro;

**JACOBO WELLERO A MOLS-**  
**DORFF,** in Karsdorff, Theologo, SER.  
EL. Confessionario, & Eccleſiaſtæ Aulico  
Primario, Protosynedrii  
Aſſeſſori;

**JOHANNI SCHEDIO,**  
in Amelgoſtevvitz, JCto SER. EL. Con-  
ſiliario Aulico & Juſtitiano;

**JOHANNI LUDOVICO CÖPPE-**  
**LIO,** in Klipphaufen, JCto, SER. EL. Con-  
ſiliario Eccleſiaſtico, inter Protosynedrii  
Aſſeſſores Seniori.

*Ex Aulâ Archiepiscopali*

MICHAELI KÖNIG,  
JCto, REV. ADMIN. Confiliario, ac per  
Provincias hæreditarias Can-  
cellario;

JOHANNI OLEARIO,  
Theologo, REV. ADMIN. Confiliario  
Ecclesiastico, & Aulico Ecclesiastæ  
Primario.

*Ex Aulâ Martisburgensi*

JOHANNI CHRISTOPHORO  
MARCI, JCto, SER. PRINC. Cancel-  
lario, Curizæ Provinc. & Scab. Lips.  
Assessor.

*Ex Aulâ Numburgensi*

JOHANNI HENRICO A LEST,  
in Rüngersdorff & Torgau, SER. PRINC.  
Confiliario, & Aulæ Magistro, Canonico  
Numburgensi.



Vod jam diu, qui docendi munere fungimur in hâc Academia, anhelis expetivimus desideriiis, ut inviserent nos aliquando, qui mala nostra, cum barbarie juventutis, cum domesticæ rei angustia, cum aliis è superiore bello reliquiis luctantium, inspicerent de propinquo, & medicam manum admelirentur: id nunc IMMORTALIS DEI beneficio, auctoritate SERENISSIMORUM SAXONIÆ ELECTORIS ET PRINCIPUM, per Vos, PATRONI PROPITII, obtigisse nobis, effusè lætamur universi. Venistis enim haud pridem, ut vestris consiliis atq; operâ serenior brevi Lipsiensis Academia facies enitesceret, saniorq; duraret ad posterios. Quam ad rem ut eximiâ instructi prudentiâ accessistis, tot hæcenus, tamq; præclaris experimentis non his regionibus modò, sed Germaniæ toti, sacroq; abundè probati Imperio: sic adjuvandi nos cupiditatem incredibilem attulisse blandissimæ compellationes Vestræ, certantesq; in vultibus cum majestate gratiæ sponderunt. Per autem opportunum nobis, qui humanio-

res



res literas profitemur, illud accidit, ut ad-  
ventus nos Vester in opere pulcherrimo  
deprehenderet. Solemus hâc anni tempe-  
state petitores supremi in philosophiâ gra-  
dûs exercere, futuræq; solennitatis ostenta-  
re præludia. Quo in negotio cum iustâ nec  
dubiâ successione destinata mihi essent ex  
partes, quas ab exordio hujus Academiae  
Procancellarii titulo exequi fas fuit: titu-  
li petendi modum à Vobis, **GRATIOSI**  
**DOMINI**, exspectans, Visitationis hujus  
opportunitati sepositum, feci interim bonâ  
fide, quod tacere antiquis moribus congru-  
enter, habuimus in mandato: invitavi in-  
eunte Novembri mense Candidatos, exami-  
ni propediem indicendo præparavi, moralis  
doctrinæ ex Aristotele Breviarium calamis  
excipere, publicè jam aliquoties comparere,  
argumenta responsionibus suis diluere jussi.  
Ita dum opus surgeo, quid esset à **SERENIS-**  
**SIMIS FRATRIBUS** de Procancellario  
decretum, commodè nobis aperuistis. Quo  
magis curandum mihi fuit, cum, imprimen-  
dis prælectionibus istis impensas qui solve-  
ret, offeretur, ut eas ad **GENUA VESTRA**,  
qualecunque animi venerabundj testimo-

nium, quod nunc facio, deponerem, qui alio-  
qui proximè collocati otii rationem Vobis,  
uti debeo, exhibere meditarer. Suscipite  
ergò DOMINI, quod offero, radiisq; bene-  
volentiaè Vestraè Collegium Philosophicum,  
& in eo me de minimis unum subinde magis  
ac magis collustrate! Ut melius hîc loci ha-  
beant bonæ literæ, ut pristinaè dignationi at-  
que felicitati restituantur, in Vestra jam  
manu positum habetis. Nobis, ut voluntas  
superest, ita DEO adjuvante, cui vitam Ve-  
stram, incolumitatem, consilia, fortunas fi-  
deliter commendamus, non deerit facultas,  
quæ à Vobis acceperimus beneficia, ad æta-  
tem secuturam cum quantâ possumus maxi-  
mâ nominis Vestri celebritate transmitten-  
di. Scrib. Lipsiæ in Museo d. 16. Decembris  
A. P. C. N. 1657.

Vester

DOMINI GENEROSI, PERREVE-  
RENDI, NOBILISSIMI, MAGNIFICI,  
EXCELLENTISSIMI

*humillimus  
cliens*

M. Jacobus Thomafius  
Prof. Publ.

# LECTORI S.

**E**rat aliquid, Lector Benevole,  
Magisterij Candidatis à me exhibendum, quo preparati ipsi ad Examen instructiores accederent. Cœpè dictare hanc, quam vides, Ethicæ doctrinæ è principe philosophorum Epitomen. Sed cùm lectionibus decem (hunc enim numerum ferè consuetudo nobis præscripserat,) vix octo absolvissim libros, totius vulgandæ consilium inij, tum ut Candidatis laborem lucrarer, quæ deessent, describendi, tum quia sperabam talem fore, quæ aliis etiam inservire posset, sive discentibus ad summam moralium brevi compendio exhauriendam; sive doctis ad ea, quæ jam didicissent, reminiscenda, vel docenda etiam alios. Utiq; operam dedi, ut illius discipline corpus, quam pulcherrimo Nicomacheorum opere executus est Aristoteles.

les, in paucissimis lineis integrum, ejus-  
modi tamen publicæ luci sisterem, ut  
nec in præceptis veritas, nec in modo pro-  
ponendi perspicuitas, (quoad ejus in li-  
bello tam conciso fieri à me posset,) desi-  
deraretur.

De brevitate testimonium ipsi oculorū  
sensui denunciare licet. Enimverò fuit  
brevitatis ipse Aristoteles perquam stu-  
diosus, quod eum vel cum Platone confe-  
rentes libenter fatebuntur: sic tamen  
fuit, ut de brevi breviorē reddere nihil  
prohibuerit. Verba propemodum rebus  
annumeravit, fateor: densus fuit in sen-  
tentiis, confertus in argumentis, non re-  
pugno; sed rationum, quibus vel suum  
confirmat dogma, vel refellit alienum,  
tanta in eo est ubertas, tam plenus singu-  
larum apparatus, similitudinum alicubi  
aut aliarum expolitionum tam lata lu-  
xuries, excursuum adeò soluta licentia,  
ut reperire, quæ vel eligerentur è mul-  
tis,

tis, vel colligerentur in nervum, vel à  
summa rerum fastigia sequenti ampu-  
tarentur etiam planè, vel pressius con-  
stiparentur, res fuerit non penitus ar-  
dua. Quo pacto praevidebam fore, ut  
his libris quantum à magnitudine deme-  
retur, tantum vicissim accederet lucis.  
Ista enim tam liberalis copia multos fe-  
fellit, ut, quid in quoque capite esset pri-  
marius, saepe non perviderent. Id quod  
inter causas fuit postea, cur Aristotelem  
præter meritum pro obscuro criminaren-  
tur malevoli. Taceo, quòd neque hoc inso-  
lens ipsi fuit, ut eadem diversis in locis  
repeteret. Quae semel tantum posuisse  
non parvam fuit his commentariis mo-  
lem detrabere. Hoc ergò facere sum co-  
natus: maximè tamen in libris priori-  
bus: nam cæteris, quòd non perinde ex-  
planati vulgò haberentur, plures lineas  
induksi.

Jam quod ad veritatem attinet præ-  
cepto

ceptorum, curavi, ne ab Aristotelis sen-  
tentiâ aberrarem. Itaq; Et ipsum linguâ  
loquentem suâ legi consideratè, Et ex  
commentatoribus Giphanium in primis  
consului, quo nescio an ullum habeamus  
Nicomachei operis accuratiorem. Fuit  
enim vir ille Et veteris Peripati, Et ana-  
lytica facultatis peritissimus, ut dubium  
sit, an philosophus præstantior poni de-  
beat, an melior iureconsultus. Quem  
non ideò tantùm laudo, quia fateri, per  
quem profeceris, ingenui esse hominis  
semper existimavi, sed ut habeam quo-  
que cujus me auctoritate defendam, sic  
ubi à vulgarium Ethicorum rhapsodiis  
discrepare videbuntur hæc nostra. Nam  
Et ab illis immane quantum disidet Gi-  
phanus. Nec ab eo tamen ita pependi,  
ut nefas putaverim iudicio niti interdum  
etiam meo. Qui ad veritatem Et hoc  
interesse putavi, ne quid irreperet huic  
libello, quod in Aristotele ethnicum re-  
doleret.

Per-

Perfpicuitatis rationem jam fuprà  
unam exposui. Cui accedunt & alia.  
Elaboravi enim, ut librorum inter fe  
capitumq; nexûs luculenter apparerent:  
neq; dubitavi, si quid hoc in genere de-  
esset Aristoteli, id supplere de meo. Nec  
despero fore, ut in hoc Breviario, expli-  
candis obscurioribus, aut nostræ ætatis  
phrasi efferendis, alicubi partes agere,  
commentatoris videar: nescio, an non  
jure addam, etiam conciliatoris. Sanè,  
quæ de voluptate, quomodo ea definiri  
debeat, & sitne illa summum bonum,  
ab Aristotele differuntur, eorum alia  
facies libro septimo, alia decimo se o-  
stendit, Quæ sive pugna vera est (cùm  
δέοντες & φρονίδες prioribus hîc videri que-  
ant σεφώτερος) sive esse apparet tantum,  
certè sic stilum temperavi, ut in meis hæc  
inter se meliùs consentirent. Est &  
ubi pro exemplo Aristotelis à nostris mo-  
ribus alieno, aliud opportunius substitue-

re

re mihi permisi. Passim verò similium  
aut affinium locorum in textu obiter fe-  
ci indicium. Capitum partitio cùm non  
eadem sit in omnibus codicibus, receptis-  
simam sequi placuit. Quam etsi ab ar-  
tifice parum perito esse constaret, (cùm  
ne ipsas quidem librorum divisiones à  
Philosopho esse, octavi noniq; libri non  
scitissimè facta intersectio docere posse,  
videatur,) retinui tamen, ne nostra cum  
Aristotelicis conferre volentium ratio-  
nes perturbarem, praesertim quoniam  
in tantâ brevitate minus erat ab hâc  
causâ periculum lectoris confundendi,  
& aliàs huic incommodo adjectis in  
margine indiculis utcunq; obveneram.  
Hoc admoneo, non, ut capitum discrimi-  
na, sic earum quoq;, quæ singulis ines-  
sent capitibus, rerum ordinem pari reli-  
gione me ubiq; custodisse: id enim ne  
facerem, brevitatis interdum aut per-  
spicuitatis suadebat propositum. Hanc  
ta.



tamen ordinis immutationem non nimis  
frequentem fore confido.

Hac sunt, quæ scire te, Lector, de  
omni hujus Breviarij ratione volui. Ut  
modum libelli implerem, Orationem  
adjeci, moralis & ipsam argumenti, i-  
temq; de versionibus Nicomacheorum  
Latinis commonefactionem brevem.  
Vale, & his ad gloriam DEI utere.

Dispo

# Dispositio

## Decem Librorum ad Nicomachum.

Ethica Nicomachea resolvuntur in

*de Teleologia*, { an sit Summum Bonū? c. 1. }  
ubi quaeritur: { ubi de eo agendum? c. 2. } lib. I.  
{ quom. & quo auditore? c. 3. }

I. de Fine, i. e. Summo Bono Practico,  
c. 4. ----- 12, lib. I.

*Teleologia*,  
cujus partes  
duae:

{ generalia c. 13. lib. I. &  
lib. II. per totū & c. 1. 2. 3.  
4. 5. lib. III.  
II. de Medio, i. e.  
Virtute morali  
ubi ejus

{ Fortitudine &  
Temperantia à  
c. 6. ad fin. l. III.  
Liberalitate &  
aliis 7. virtut. l.  
IV. Justitiā, l. V.  
principium dirigens Pru-  
dentia, cujus occasione  
de omnibus agitur vir-  
tutibus intellectu-  
libus lib. VI.

gradus imperfectus, Cō-  
tinentia & Toleran-  
tia. c. 1. --- 10. lib. VII.  
Cognatum, Amicitia. l.  
VIII. & IX.

Objectum commune  
Voluptas, capp. ult.  
lib. VII. & primis  
lib. X.

*In Teleologia*, ubi { de Sum. B. Theoretico, c. 7. 8 }  
{ transitio ad libros Polit. c. 9. } l. X.

BREVIA.



BREVIARIUM  
ETHICORUM ARISTOTELIS  
AD NICOMACHUM.

---

PROŒMIUM.

**P***Hilosophiæ Practicæ, cui non  
contemplandi tantum, sed juxta  
contemperationem præviam agendi  
gratiâ studeri debere, vox ipsa in-  
nuit, due meritò constituuntur partes:  
una generalis, quam Ethicam; specialis  
altera, quam Politicam appellare sole-  
mus. Utriusq; egregius Doct̃or Aristote-  
les fuit, prioris quidem in Nicomacheis,  
posterioris in Politicis. Sed Nicomachei  
integri ad nos pervenere, Politici mutili.  
Hic, DEO propitio, Nicomacheos decem  
brevis compendio includemus. Quorum  
primus de fine summo hominis; reliqui de  
mediis ad illum finem generatim ducen-  
tibus, agunt: nisi quòd in ultimo admo-  
netur, speculativam felicitatem pra-  
cticâ esse potiorem.*

A

LI.

## LIBER I.

*De Summo Bono: item de Virtute  
in genere.*

An sit  
Summū  
Bonum?

C. 1. Ante omnia quæri potest: *An sit aliquis humano generi propositus finis summus?* Nam quicquid sanè suscipiunt homines, id boni alicujus seu finis gratiâ eos suscipere manifestum est. Unde consequitur, pro varietate actionum multos esse fines.

Ubi de eo  
agendū?

C. 2. In hâc finium multitudine, quoniam eorum est inter se aliqua subordinatio, necesse est ad summum aliquem perveniatur, quandoquidem nec in infinitum natura, nec in vanum appetitus progreditur. Et de hoc fine dispicere ad *Philosophiam Præcticam*, seu *Politicam*, tanquam disciplinarum omnium maximè architectonicam, pertinet.

Et quomodo?

C. 3. In hâc verò Philosophiæ parte ne tanta sit speranda *demonstrationum* evidentia, ut in Theoreticâ, humani assensûs in approbando honestorum & turpium discrimine infirmitas facit. Quare nec juvenis, immaturæ ad hanc rem & plenioris affectuum ætatis vitio, perfectum ex Ethicis acroasibus fructû capiet, [VI. 8.]

Et quomodo  
auditor  
quomodo  
passim  
appellatur?

C. 4. Quæritur deinde: *Quisnam sit ille finis*

*finis ultimus?* Quâ in re mirificè dissentiunt homines, cum in nomine conveniant omnes eumq; finem *felicitem* seu *beatitudinem* appellent.

C. 5. Alii ergò *voluptatem corporis*, alii *honorem*, alii *divitias* summum finem sibi præstituunt. Perperam omnes. Nam voluptas corporis homini cum pecude communis est; honor in aliorum potius quam nostrâ potestate; divitiæ autem ordinato appetitu nunquã propter se, semper propter aliud appetuntur. Ac ne *habitus* quidem virtutis haberi debet pro summo fine. Nondum enim ille ultima est perfectio, & esse potest in eo etiam, qui per totam vitam dormiat.

quid non sit?

C. 6. Falluntur etiam, qui summum hominis bonum locant in *contemplatione Idea Boni*. Nam & dubitare licet, deturne aliqua omnium bonorum communis idea: & si maximè detur, contemplatio ejus aliena est à nostro proposito, qui non Theoreticam hîc, sed Practicam inquiramus felicitatem.

C. 7. Nos Summum Bonum hominis definiemus, *operationem animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vitâ perfectâ*.

quid sit?

C. 8. Neq; abhorrent penitus ab hac sententiâ nostrâ *veterum placita*, ut quòd animi

bona docuerunt verè atq; maximè bona esse: quòd beatum benè vivere, beneq; agere dixerunt: quòd virtutem vel solam, vel voluptati bonisve externis junctam Summum Bonum esse statuerunt. Hæc enim omnia, si commodè explicentur, nostræ definitioni sunt consentanea.

quæ causa efficiens?

C. 9. Nascitur hinc quæstio de causa Summi Boni, quam nos in suâ cujusq; hominis industriâ (non excluso interim auxilio divino) nequaquam verò in fortunæ temeritate reponimus.

an de vivis prædicari possit?

C. 10. Quare non cum Solone iudicium de felicitate hominis ad mortem illius differemus: sed veræ virtutis exercitio spectabilem, etiam dum vivit, beatum prædicabimus. Largimur tamen, felicitati ut à fortunâ insigniter bonâ magnum decus, sic ab insigniter malâ nonnihil vitii ex impedimento multarum virtutum aspergi, imò in calamitatibus prorsus Priamicis beati hominis titulum vix sustineri posse.

an post mortem mutari?

an sit bonum honorabile,

an laudabile?

C. 11. Hæc de vivis. Quid autem de mortuis? Tanguntur ne illi casibus superstitem posterorum? Tanguntur, sed levius, quam vivi. Quanti enim cunq; sunt illi casus, certè statum mortuorum non immutant.

C. 12. Quòd si rogetur: an Beatitudo sic

in

in laudabilium an honorabilium numero? promptum est respondere: in honorabilium. Est enim inter res optimas, per seq; tantum expetibiles, quibus aliquid laude augustius, nempe honor, debetur.

C. 13. De Summo fine seu Beatitudine satis. Sequitur medium, *Virtus*. Est in animâ nostrâ duplex facultas: una rationalis per essentiam, *Intellectus*; altera per participationem, *Appetitus*. Et hinc duo sunt Virtutum genera. Stabulantur enim in priore animæ parte (sic Veteres vocabant) virtutes *intellectuales*, in posteriore *morales*.

*Distin-*  
*ctio vir-*  
*tutis.*

## LIBER II.

### *De Virtute morali in genere.*

C. 1. De *moralis* virtute præcipua nobis suscepta est tractatio. Hanc non ab ipsâ naturâ nobis insitam esse, inde patet, quia & contrarium ipsi vitium consuetudine induci potest, & ipsa actibus suis haud prior est, sed posterior. Quare & crebris exercitiis ad eam comparandam, tanquam si esset ars aliqua, opus est. Ut enim citharisando citharædi, sic iusta agendo iusti evadimus, [adde c. 4. & s.]

*Virtute*  
*moralis*  
*non esse*  
*à naturâ*

quibus  
actioni-  
bus com-  
paretur?

signum  
acquisite

obsectio  
contra  
caput 1.

solutio.

C. 2. Hæc exercitia oportet esse *consen-*  
*tanea reformationi*, quod fiet, si inter nimium  
& parum debitam *mediocritatem* teneant: :  
qualia etiam sunt ea, quæ habitum virtutis  
comparatum, ut radicem fructus, sequuntur.

C. 3. Comparati habitus hoc in se quisq;  
signum capere poterit, si cum *voluptate* ea,  
quæ virtutis sunt, operetur, & molestiam, quæ  
inter prima ad virtutem exercitamenta eve-  
nire solet, abesse sentiat, [III 9] Nimirum vo-  
luptas quoq; & dolor objecta sunt quodam-  
modò virtutum omnium communia [VII. II.]

C. 4. Quod supra diximus, virtutem a-  
ctibus sui generis esse posteriorem, & iusta a-  
gendo evadere nos justos: id absurdum vide-  
ri possit, cum contra fortasse dictum oport-  
teat, iusta nos agere, non ut fiamus justi, sed  
quia jam simus, sicut qui Musicum aliquod  
opus edit, sine dubio Musicus est. Verum,  
hic notabis, virtutes & artes similes quidem  
in quibusdam, sed rursus in hoc dissimiles  
esse, quòd artis opera bonitatem suam ac per-  
fectionem *in se* habent: virtutis verò *in ani-*  
*mo operantis*, quem non modò scientem, sed  
& honestatis gratiâ, & animo ab affectuum  
imperiiis longissimè abducto agere oportet.  
In quo qui deficit, fieri potest, ut *justum* quid  
agat, i.e. quod externam habeat justiciam,  
sed



sed nondum agit *justè*, i. e. ex vero justitiæ habitu, [V. 7. 8.]

C. 5. Ut aliquando virtutis moralis definitionem habeamus, *genus* ejus sic investigabimus: Quandoquidem constat, eam esse qualitatem animo inhærentem, neq; tamen est vel affectus, (ab affectibus enim absolutè nec boni dicimur, nec laudamur,) vel potentia naturalis, (quod præter has ipsas rationes etiam initio hujus libri exposita evincunt,) relinquitur, ut sit habitus.

*Genus  
virtutis  
moralis.*

C. 6. Definitio tota hæc esto: *Virtus moralis est habitus electivus in actionibus suis observans mediocritatem eam, quæ quoad nos vocatur, rectâ ratione definitam, h. e. talem, qualem consideratis circumstantiis homo prudens definirat.* Sanè in medio consistere virtutem svadere possis, tùm quia & artes certum observant medium: tùm quia medium in actionibus moralibus, uti reperire difficile est, ita maximè laudare solemus, cùm contrà ad extremum facili negotio, sed cum dedecore, perveniatur.

*Ejusdem  
definitio.*

*differentia.*

C. 7. Idem quoq; *inductione* omnium Virtutû (tantùm quod Justitia peculiarem quandam, de quâ suo loco [V. 5.] mediæ rationem habet,) probatur, quarum singulæ à binis vitiis seu extremis circumstantur, uno quod excessu, altero quod defectu peccat, C. 8.

*Compa-  
ratio cū  
extremis*

C. 8. Unde intelliges, *extrema* longius ab se ipsis, quàm à medio dissidere. Ipsum vero medium in aliâ virtutis specie excessui, in aliâ defectui proprius accedit.

*regula  
practica*

C. 9. Atq; est sane non minus difficile medium in actionibus, quàm centrum in circulo reperire: sed potest tamen hæc difficultas *consiliis* superari. *Simpliciter* moneo, magis cavendum illud extremum, quod magis cognoscetur repugnare virtuti. *Si quis* tamen ad certum se vitium naturâ proclivem esse sentiat, is ab eo, tametsi aliàs absolute medio sit vicinior, quantum potest maximè se abducat. *Tandem* præcipue suspecta esse debent, quæ sensibus jucunda sunt.

## LIBER III.

*Adbuc de Virtute Morali in genere: & de Fortitudine ac Temperantiâ in specie.*

*Quid sit  
spontaneum &  
invitum?*

C. 1. Diximus, virtutem esse habitum *electivum*. Electio spontaneum est quiddam. Spontaneum quàm optimè cognoscitur ab opposito invito. *Invitum* duplex, unum per violentiam, alterum per ignorantiam. *Per violentiam* illud agitur, cujus principium extra

trà est, ita quidem, nihil ut adjumenti afferat  
 is, qui agit, aut patitur. Quod ultimum quia  
 secus habet in actionibus, ut vocamus, mixtis,  
 multoq; magis in iis, ad quas à voluptate inci-  
 tamur, ideò tales spontaneæ potiùs quàm in-  
 vitæ habendæ sunt. *Per ignorantiam* invita  
 actio ea demùm vocatur, quam & ignorantia  
 (non juris, sed facti) præcedit, ut causa, & er-  
 rore cognito pœnitentia sequitur actutùm.  
 Quem enim hîc non pœnitet, eum non sponte  
 potiùs quàm invitè egisse dicemus. Ex his jam  
 innotescet, quid *spontaneum* debeat appellari, id  
 nempe, cujus principium est in eo qui agit,  
 circumstantias morales actionis suæ non i-  
 gnorante.

C. 2. *Electio* non est cupiditas aut ira,  
 quia propria est homini; non voluntas, quia  
 non est impossibile, nec eorum, quæ ab a-  
 liis fiunt, nec finis ipsius, sed mediorum; non  
 opinio, quia non vero & falso, sed malo & bo-  
 no distinguitur. Quid ergo? est *spontaneum*  
*prius deliberatum.*

quid E-  
lectio?

C. 3. Licebit & sic definire: *Electio* est  
*appetitio deliberata earum rerum quæ sunt in*  
*potestate nostrâ.* Nam nec *Deliberationi* omnia  
 objiciuntur, utpote quæ est quæstio de iis tan-  
 tum, quæ sunt in suâ cujusq; potestate, non  
 ut finis, sed ut media, & quidem talia, quæ

quid De-  
libera-  
tio?

habeant aliquid varietatis. Ex hâc varietate certum quid postea excerpit Electio, quæ ad facultatem appetentem, ut ad cognoscentem Deliberatio pertinet.

quid Voluntas?

C. 4. *Voluntatem* esse appetitum finis paulò antè diximus. Sic enim hîc eam vocem usurpamus. Porro finis bonum est quiddam. Hoc interdum verum est, interdum apparens modò. Verum à viro probò, apparens ab improbo appetitur.

an detur liberum arbitriū?

C. 5. Atq; hæc *actionum* nostrarum sunt *principia*. Quæ cum in *arbitrio* nostro sint, idem de actionibus pariter affirmandum fuerit. Etiam iis, quæ habitum sequuntur. Habitus enim ipse certè erat in potestate nostrâ. Sponte ergò boni, sponte mali sumus. Horum nec alterum sine altero negari potest, neque verò negari utrumq;. Sic enim laudis & vituperii, præmii & poenæ, legum deniq; ipsarum omnis ratio tolleretur. Tantum de morali virtute *in genere*. Nunc *species* singulas, quodrum differentia ab objectis erunt petendæ, inspiciemus.

De Fortitudine.

C. 6. *Fortitudo* est virtus, quæ in metu & fiducia modum servat. Sed in metu præcipuè. Metuimus autem mala. Nec tamen omne malorum genus fortitudini objicitur. Sunt enim, quæ non metuere turpe est omnino,

nò,

nò, ut infamiam. Sunt alia, quæ si culpâ vacent, æquo animo ferenda sint quidem, ut paupertas, veruntamen nec talia fortitudinis *objecta* sunt propriè, sed maximum inter horribilia, *mors*, & præsertim *bellica*: nam in naufragio & morbis explicando robori non perinde locus est.

C. 7. Ea quoque, quæ supra hominis vires sunt, ut terræmotus, excipi debent. Nam hæc salvâ fortitudine, ut ab homine, metui possunt. *In excessu* opponitur fortitudini *Audacia*, cui affinis est insana illa, qualis *Celtarum* fuit, adversus fluctûs armis pugnantium, & *Phobias*. *In defectu* timiditas, à cuius culpâ non absolvimus eos, qui mortem sibi præ fortunæ impatientiâ consciscunt.

C. 8. Verè fortis in bello viri character est, ut metum è conscientia periculi natum, non aliâ re magis, quàm amore virtutis vincat, alios affectûs (si qui in hoc genere ferri possunt) non duces habeat, sed comites aut ministros. Quorum ergò fortia facinora vel ex gloriæ cupiditate aut pudore infamiæ, vel metu præsentioris periculi, vel fiduciâ militaris peritiæ, vel irâ, vel spe, vel ignoratiâ periculi tanquam ab ultimo fonte proficiscuntur, celebrari & illi quidem vulgò pro fortibus solent, genuinæ tamen fortitudinis laudem à nobis nequa-

nequaquam auferunt, nisi quod primos illos  
inde quam proximè abesse fatemur.

C. 9. Cæterum quia in formidolosus po-  
tius, quam contrariis versatur vir fortis, fieri  
non potest, quin ejus actiones, præsertim in  
conflictu bellico, plenæ sint molestiarum, eo-  
que pleniores, quo plura adsunt illi bona, qui-  
bus à morte exui queat. Quomodo ergo,  
inquies, quæ ex habitu fiunt, cum voluptate  
fieri, suprâ [II. 3.] dictum est? Hic tenendum,  
non abesse viro forti suam voluptatem, esto  
à doloribus necessitate materiæ intercurrenti-  
bus ea valdè obscuretur. Ipse enim finis illi  
dulcis est, itaq; & honestatis contemplatione  
eas omnes molestias vincit.

De Tem-  
perantiâ

C. 10. *Temperantiæ virtus est in volupta-  
tibus gustûs & tactûs modum tenens.* Non  
enim huc pertinent voluptates animi; neque  
illæ corporis, quæ sunt cæterorum sensuum,  
nisi forte ex obliquo: ac ne tactûs quidem vo-  
luptas quævis, ut cum è frigore in calorem  
translati nobis benè est: sed quæ hominem  
bestiæ quam simillimum reddunt, gulæ scili-  
cet, reiç; veneræ. Atq; hæ ambæ certi &  
hic intelligendi generis tactu absolvuntur.  
Unde uno verbo voluptas è tactu hujus Vir-  
tutis objectum nuncupes.

C. II.

C. 11. Jam cum circa hoc objectum *duplex* reperiatur *cupiditas*, *naturalis* una, altera *quæsitæ seu voluntaria*, notabis, in priori cupiditatis genere & rariùs solere & leviùs peccari. Versatur & Temperantia, licet impari ratione, circa dolores. [*conf. VII. 7.*] Est enim harum, de quibus locuti sumus, voluptatum, ea ratio, ut ex earum absentia dolor aliquis suboriatur, indigente videlicet natura. Defectum hujus virtutis, inventu difficilem, *αια-θησία* stuporem appellare libet, nam *excessus*, *αικολασία*, *intemperantia*, satis notus est.

C. 12. *Intemperans timido peior est*, quia actiones ejus magis spontaneæ, quippe ad quas non timoris violentia abripitur, sed voluptatis libidine inducitur. Adde quod hic talis admodum pueriliter peccat, unde & *αικόλας* ☉ græcis non is modò, qui est intemperans, vocatur, sed & incastigatæ lasciviæ puer aliquis.

## LIBER IV.

*De Liberalitate, Magnificentiâ, Magnanimitate, Modestia, Mansuetudine, Et tribus virtutibus bellicis.*

C. 1.

De Libe-  
ralitate.

C. 1. *Liberalitas est virtus tūm in dandis (& hoc præcipuè) tūm in accipiendis pecuniis modum servans.* Pecuniæ nomine ea quoq; complectimur, quæ numo æstimantur. Et in dando quidem ita se geret liberalis, ut & honestatis gratiâ atq; hilariter hoc faciat, & quibus, quôque tempore ac modo, & quantum oportet; in accipiendo, ne accipiat unde haud decet, sed de suis maximè bonis, ne cupidè poscat aliena. Liberalitati in excessu opponitur *Prodigalitas*, in defectu *Ilberalitas*, quarum hæc illâ deterior: nam & insanabilior est, & nemini, ne sibi quidem, utilis. Ejus autem duo sunt genera ferè: unum, quod dando modum deserit; alterum quod accipiendo superat, sicut ii faciunt, qui student quæstui.

De Ma-  
gnificen-  
tiâ.

C. 2. *Magnificentia virtus est, modum observans & illa quidem in pecuniis, ut Liberalitas, cui affinis est, sed magnis, & in sumptibus modò atq; opera conferendis, cum Liberalitatis sit, etiam numum ipsam largiri.* Insuper pauciorum hominum est Magnificentia, quàm Liberalitas. Est enim viri nec mediocriter nec despicabili titulo opulenti, quique sit justâ inter cives dignatione. Talis ergò magnificum se geret in publicis operibus de suo fieri curandis, qualia sunt templa, donaria

ria



ria templorum, ludi, convivia publica. Per-  
 tinent huc *Epulae nuptiales*, eo, quòd magna  
 pars civitatis iis excipiatur: ea item, *quae ho-*  
*spitiis praebeantur eximia*: haec enim sacra  
 quodammodò habentur. Quare & provide-  
 bit, ut aedes suae divitiis respondeant, non tam  
 sui, quàm communis ornamenti gratiâ. Porro  
 curabit, ut in opere concinnitas potius: ele-  
 gantia, & rebus omnibus respondens decor,  
 quàm insana & inepta profusio appareat, nec  
 tamen sordidè putabit rationes. Nam in  
 his, cæterisque circumstantiis qui *exerdit*, *βα-*  
*ρυνοςίας*, seu *Luxus*; qui *deficit*, *μικροπρεπείας*  
 seu *sordium* damnari solet.

C. 3. *Magnanimitas est virtus, in magnis*  
*praecipuè honoribus moderationem servans.*  
 Occupatur quippe in recipiendis, & si sit opus,  
 etiam contemnendis aut respuendis *externis*,  
 cum sit & omnibus digna & eximiis. In his  
 autem maximum *honor*, utpote, quo majus  
 ne Deo quidem tribui ab homine possit. Est  
 & hæc virtus paucissimorum. Non enim ca-  
 dit, nisi in eum, qui sit virtutibus & multis  
 præditus, & iis magnis. Nam talis verè sum-  
 mo inter homines honore dignus est. Quem  
 ipse oblatum accipiet quidem, sed virtute in-  
 feriozem æstimabit. Itaq; & denegatum æ-  
 quo feret animo, & suâ se virtute involvens

De Ma-  
 gnani-  
 mitate

non

non magis frangetur adversis rebus, quam  
 efferetur secundis. Quin & in cæterarum  
 virtutum, (has enim ei dedimus magnas,) ex-  
 exercitio raris quibusdam & mirificis modis,  
 quos exequi prolixum foret, versabitur. Hanc  
 virtutem qui affectat ad eam ineptus, in ex-  
 cessu peccat, & χαυνότητι, i.e. Fastus nota-  
 tur: sicuti contrâ μικροψυχίας, i.e. Pusillani-  
 mitatis, qui cum sit aptus, ejus gestibus sibi  
 interdicit, atq; sic in defectum labitur.

De Mo-  
 destiâ.

C. 4. Modestia (quæ apud Græcos no-  
 mine à vitio sui generis distincto caret,) est  
 virtus in mediocri honorum genere modum  
 custodiens. Affinis hæc est præcedenti ad eum  
 ferè modum, ut Magnificentia Liberalitas:  
 explicatu autem facilior. Qui enim dixerit,  
 modestum honores mediocres & quos, & unde,  
 & quomodo oportet, accipere, sic satis di-  
 xerit. Excessus modestiæ φιλοτιμία, Ambi-  
 tio; defectus ἀφιλοτιμία, nimia honoris ne-  
 glectio.

De Man-  
 suetudi-  
 ne.

C. 5. Mansuetudo virtus est modum circa  
 iram observans. Modi hæc ratio, ut ne iras-  
 camur, nisi quibus, ob quas causas, quando,  
 quandiu, quomodo decet. Virtus hæc pro-  
 prior est defectui, quem Lentitudinem, ἀοργη-  
 σίαν appellamus, quam excessui, quem iracun-  
 diam, ὀργιλότητα. Iracundorum genera  
 sunt

*sunt tria.* Qui enim subito irascuntur, subitoq; placantur, ἀκρόχολοι *praeservidi* vocantur. His deteriores πικροί, *acerbi*, qui dissimulatam diu iram graviter tandem effundunt: Sed apud hos tamen compositioni locus esse possit: quin & horum iram tempus tandem decoquet. Pessimi χαλεποί, *atroces ac sevi*, qui gravissimè & utissimèq; irascentes, non nisi captâ ultione placantur.

C. 6. *Humanitas* (Græci cognato vocabulo Φιλίαν, i. e. amicitiam nuncupant,) *virtus est in conversatione seriâ placendi displicendiq; tenens modum.* Modi hujus mensura est respectus tum ante omnia honesti, tum ejus, quod sit aliis utile, tum personarum, quibuscum versatur. *Defectus* ejus est *Morositas: Excessus Assentatio*, id unicè cavendo, ne alii offendantur ullo modo: in quo, si quaeratur lucrum insuper, id *Adulatio* vocabitur. De Humanitate.

C. 7. *Veritas* (strictiore sensu, quàm vulgò solet, hîc intellecta,) *est virtus, modum observans in iis, quæ in conversatione communi de se quisq; dicenda habet.* Hujus vis quàm optimè de contrariis intelligetur. Quæ sunt hinc ἀλαζονεία, *Factantia* (sive profecta hæc sit à gloria, sive à quæstus cupiditate,) inde εἰρωνεία, *nimia extenuatio sui.* Hæc minùs mala, & virtuti ipsi vicinior est. De Veritate.

B

C. 8.

De Urbani-  
tate.

C. 8. *Urbanitas est virtus in jociis dicen-  
dis audiendisq; modum observans. Joci libe-  
rales sint, non obscœni, aliisque modis inde-  
cori, aut quibus auditor aliquis offendatur. In  
excessu peccant scurra & cavillator. Quo-  
rum ille sine modo risum captat omnium: hic  
dum sibi tantum vel aliis placeat, non metuit  
alios suis jociis offendere. In defectum im-  
pingunt agrestes homines, qui nec jocari ipsi  
queunt, nec jocantes alios pati. Atq; hæ sunt  
tres illæ conversationis virtutes, (Homileticas  
vocant,) duæ seriæ, ultima ludicra.*

An &  
Verecun-  
diâ sit  
Virtus?

C. 9. His annectemus brevem commo-  
nefactionem de *Verecundiâ*. Quam si quis  
virtutem esse putet, fallitur. Affectus enim  
est, eum definiatur, *ignominie metus quidam*.  
Nec in viro aut sene perinde ut in puero aut  
adolescente laudatur. Sequitur enim ad de-  
lictum, quod primæ quidem ætati, sed non  
similiter adultæ ignosci æquum est.

## LIBER V.

### De Justitiâ.

Justitia  
in genere  
quid &  
quatuor-  
plex?

C. 1. De *Justitiâ* paulò operosior erit,  
quàm de aliis virtutibus, disputatio. Si nomen  
spectes *Justitia est habitus animi, quo ad res  
justas*

justas gerendas homines efficiuntur idonei, quo-  
que res justas agunt & volunt. Injustitiæ con-  
traria ratio est. Sed bifariam justus injustiq;  
dicuntur. *Alio* enim sensu, qui leges violant,  
servantve: *alio*, qui de bonis malisve fortunæ  
æqua sibi aut iniqua adsciscunt. Prior mo-  
dus ad *universalem justitiam* injustitiamq;  
pertinet. Quarum illa virtutis, hæc vitii non  
pars est, aut species certa, quales hactenus hæ-  
buimus, sed ipsum ex partibus totum. Atq;  
adeo Justitia universalis à virtute non re, sed  
ratione [ *simile quid VI. 8.* ] differit, eo nimirum,  
quod virtus ordinem tantum ad possessorem  
hujus habitus; Justitia universalis ordinem  
ad alios & totam Remp. involvit.

C. 2. Sed hæc omisâ de *particulari Ju-*  
*stitiâ* nobis agendum fuerit deinceps. Hanc  
enim speciem esse virtutis peculiarem, à cæte-  
risq; distinctam, multis probatur argumentis.  
Atq; hæc iterum *duplex* est: una *Distributiva*,  
quæ in rebus inter ejusdem Reip. cives divi-  
dendis occupatur. Altera, quæ in contra-  
ctibus seu commutationibus vim habet corri-  
gendi. Unde *commutativam* vel *correctri-*  
cem vocant. *Contractus* vocabulum tam latè  
hic sumo, ut dividi is possit in spontaneum,  
utrinq; qualis v. g. emptio & venditio, & ab  
alterâ parte invitum, sive sit ille clandestinus

*Justitiâ*  
*particu-*  
*laris,*

*distribu-*  
*tiva,*

*& com-*  
*mutati-*

*va.*

ut furtum, sive violentus, ut rapina.

Medium  
utriusq;

hinc ge-  
ometricū

C. 3. Utraq; Justitia in *æqualitate* quædam posita est. In medio ergò. *Æquale* enim medium est inter plus & minus. Porro in omni Justitiâ quatuor ad minimum respicienda sunt, duæ res, personæ totidem. Atq; in his debet esse aliqua *proportio disjuncta*, sicut haud dubiè id, quod injustum est, à proportionē abscedit. Sed proportio, quam *Geometricam* vocant Mathematici (fas enim est, quoniam numerus hîc omninò reperitur quidam horum sermone uti) *Distributiva* justitiæ propria habetur. [VIII 7]

hinc a-  
rithme-  
ticum.

C. 4. Cùm enim e. g. pecunia publica inter cives distribuenda est, tantum accipiet quisque, servatâ summæ totius ad totam multitudinem proportionē, quanto loco est ipse in Rep. quantumq; contulit quasi ad eam. Unde fit, ut alius alio plus capiat, pro dignatione suæ personæ. At enim verò in *commutativâ justitiâ* nihil hic personæ respectus ad æquitatem facit. Quare illi *Arithmetica* proportio apta est, quæ simpliciter lucrum æquat damno, personis commutantibus inter se quasi paribus (ab hâc quidem ratione) supputatis, ut scil. tantum accipiat quisque, quantum dedit, tantum idem sentiat damni patiendo poenam.

nam, quantum faciendo injuriam lucri, ut sic dicamus, sensit. Liceat enim vocabulum *lucri* etiam huc extendere.

C. 5. Hic expendamus eorum sententiam, qui Justitiam in *talione* simpliciter consistere dicebant. Quod non ita est. Nam primum in distributivâ locus talioni nullus: nec item in pœnis, si rectè intendas oculos. In permutationibus rerum videtur ea valere quidem, non tamen simpliciter & rigorosè dicta, sed accepta secundum aliquam proportionem, ut reddatur scilicet res non eadem *specie*, sed *valore*. Valoris mensura (simul & vinculum societatis) *indigentia* est, idè; naturaliter: indigentia quasi interpret ex lege positivâ *numus*, [IX. 1.] qui & spòsor permutationis in casum necessitatis futurum. Porro *Justitia* præ aliis virtutibus habet hoc peculiare, quod ejus *unum tantum extremum* reperitur, *Injustitia*. Neq; tamen ideò nullum est *Justitiæ* medium. *Injustitia* enim in utroq; extremo peccat, *sive* in suo versetur, *sive* alieno negotio. Si enim *in suo*, lucri nimium sibi, damni parum adjungit; si *in alieno*, jam huic jam illi (certè semper uni alterive,) plus boni, minus mali tribuit.

*An talio simpliciter jus sit*

*Justitia quid habeat peculiare?*

C. 6. In materiâ *Justitiæ Jus solummodo Politicum* intelligendum venit. Id enim

*Divisio Juris in Politicū & Oeconomicū.*

simpliciter jus vocari meretur. Est autem non nisi civium inter se. Horum namq; societas legis capax est. Quia & injustitiæ. Quam lex dirimere debet. Injustitiæ verò capax hæc societas est, quia cum cives inter se sint æquales (vel proportionem vel numero,) alter alterum injuriâ afficere potest, non æqua sibi capiendo. Juri Politico simile quidem *Oeconomicum* est quodammodo, quod in domesticis societatibus patri & filio, domino & servo, viro & uxori intercedit: nequaquam tamen ejusdem ordinis. Non enim hæ personæ æquales sibi sunt. Quia potius & filii parentum, & servi dominorum pars sunt quædam: imo & uxor viri, licet gradu minus inæquali. Nemo autem in se ipsum injurius, [*infra c. 11.*] Quare neq; lex, neq; injustitiæ locum propriè hic habet, [*d. l. & VIII. 11.*]

Subdivi-  
sio Juris  
Politici.

Injustè  
factum,  
quid pro-  
priè?

C. 7. Politicum jus duplex facio, *naturale & legitimum*, (seu positivum) Illud immutabile, & ubiqve idem, (nisi forte apud quos vitium aliquod ratio recta contraxit:) Hoc mutabile, & ut mensuræ venalium rerum, aliud apud alios populos, nēpe pro discrimini- bus Rerump. Ulterius notabis, *justum injustumq;* differre à *justè injustèq;* facto. Illud enim tale est absolutè atq; in se, sicuti justum est, depositum reddere, injustum, aliquem

ver-



verberare: At hoc non nisi comparatione  
ejus, qui agit, æstimari potest, [M. 4.]

C. 8. Nam si *sponte*, & quidem *deliberatò*  
egit, tùm demùm actionem illam justè inju-  
stève factam pronuntiabimus, agentemq̃ve  
ipsum injustum aut justum. Sin verò *coactus*  
quis aut *ignorans* v. g. depositum reddat, vel  
alium verberet, neq; justus ille, neq; hic inju-  
stus vocabitur, sed actio tantùm ipsa justa vel  
injusta. In iis injuriis, quæ *sponte* quidem,  
non autem *deliberatò*, sed è *subito affectu* e-  
jus generis, cujus ira est, fiunt, venia locum  
habet. Nam ne talia quidem simpliciter ali-  
quem injustum, h. e. perfecto injustitiæ habi-  
tu affectum arguunt.

C. 9. Hæc ex parte *facientis* injuriam.  
At enim verò, ut ex parte *accipientis* injuria  
verè accepta dicatur, nolenti vel invito illata  
fit oportet. Nam injuriam ut non facit nisi  
volens: ita vi contrarii non patitur nisi nolens.  
*Volenti non fit injuria.* *Damnum* tamen,  
quod quis sic patitur, vocari possit. Ex his,  
quæ dicta sunt apparet, *non esse verò facilem*,  
ut putant quidam, *esse justum.* Non enim  
ad hoc sufficit, nemini nocere, nisi id honesti  
amore, non aliis de causis, fiat. Neque, si  
facile est, nosse quid jubeant leges in genere,  
promptum erit æqvè, ad circumstantias sin-

*Volenti  
non fieri  
injuriã.*

*An faci-  
le sit esse  
justum?*

gulas hæc rectè applicare: quemadmodum non statim, quicumq; novit, mel salubre esse, idem scit etiam, quibus, quando, quâ parte, quâ mensurâ, & cætera hujusmodi.

*Quid æ-  
quum &  
æquitas?*

C. 10. Hinc oritur quæstio de eo, quod æquum est. Hujus natura in eo ponitur, ut legem generalitate suâ deficientem, (in quo tamen non legis culpa est, sed rerum ipsarum, quæ infinitas variationes patiuntur, ) corrigat. Est ergo æquum aliquid jure sic universim concepto melius, neq; tamen novum, quid, aut huic generi adversum. Ejus qui est observans, & ideo de jure suo aliquid interdum remittit, *vir æquus*, & habitus iste *æquitas* vocatur, ad ipsamq; omninò pertinet justitiam.

*An inju-  
riam sibi  
ipsi quis  
faciat?*

C. 11. *Neminem posse sibi facere injuriam*, antea monuimus, [c. 6.] Hoc patet, sive secundum universalem sive particularem justitiam rem examinemus. Videtur quidem *αὐτοχρησ* peccare contra justitiam *universalem*, quia leges *αὐτοχρησίων* prohibent. Ac sanè hoc concedimus. Sed injuriam, quam ita facit, Reip. facit, non sibi. De *particulari* res manifesta è suprâ positis, [c. 9.] Quod enim ab se ipso quis patitur volens patitur. At volenti injuria non fit. Patiēmur tamen, improprie aliquem dici ab se injuriâ affici, sicut improprie

proptiè injuria est patris in filium, vel domini in servum, [c. II. & VIII. II.] De cætero, etsi malum est utrumq; *facere injuriam, & pati:* *Pejusne sit injuriam facere, an pati?* facere tamen pejus est, quia culpam habet, quâ caret, qui patitur. Et hæc *de speciebus virtutis moralis* dicta sunt.

## LIBER VI.

### *De Virtutibus Intellectualibus.*

C. 1. Proximum est, ut de *Prudentiâ* videamus. Hæc enim omnes morales virtutes diriguntur. Sed placet hæc occasione *religiosas etiam virtutes intellectuales* aliquantùm perlustrare, tum quia sic meliùs innotescet nobis natura prudentiæ: tum quia in earum numero Sapientiam quoq; deprehendemus, Theoreticæ Beatitudinis effectricem. *Intellectus* in homine duplex est: *speculativus*, rerum, quarum principia aliter se habere non possunt; & *practicus*, eorum, quæ potestati nostræ & variationi subjecta sunt. *divisio generalis,*

C. 2. In utroq; affirmatio est & negatio. Quibus in appetitu respondent persecutio & fuga. Utriusq; item perfectio est *veritas*; sed speculativi *veritas simpliciter*; practici *veritas recto appetitui consentiens*. Unde virtutes intellectuales *Theoreticæ* in veri contempla-

tione acquiescunt; *practicae* contemplationem suam ad opus transferunt.

*Et specialis.*

C. 3. In universum *virtutes intellectuales perfectas*, (quæ sunt habitus, quibus animus verum enunciat affirmando vel negando,) *quinq;* numeramus: tres theoreticas, *Scientiam, Intelligentiam, Sapientiam*; duas practicas, *Prudentiam & Artem*. Quæ vocabula quo sensu capiamus, è sequentibus peti volumus. *Scientia* habitus est rerum necessariorum è suis principiis demonstrativus.

*De Scientia.*

*De Prudentia & Arte.*

C. 4. Contrà in rebus contingentibus cum rectâ ratione occupantur habitus duo practici, *Ars & Prudentia*: efficiendis quidem *Ars*; agendis autem *Prudentia*.

C. 5. Ampliùs, *Prudentia* vis in benè beateq; vivendo cernitur, h. e. in consultando de fine ultimo hominis, cujus principiorum notitia intemperanter vivendo dilui aut decoqui possit, vicissim conservari temperantiâ: quam hinc apud græcos *σωφροσύνη* quasi *σώζουσαν τὴν φρόνησιν*, conservatricem prudentiæ dictam credas. *Ars* autem ad finem ipsam hominis ultimum nequaquam adscendit. *Ad hæc*, qui volens in arte erraverit, melior artifex habetur eo, qui invitus. In *Prudentiæ* verò opere graviùs peccat, qui sponte, quàm qui invitus, Ex his igitur, aliisq; licebit æsti-

mare

mare discrimen Artis & Prudentiæ. Nam à scientiâ hæ ambæ satis manifestè distinguuntur contingentiam objecti.

C. 6. *Intelligentiâ* est habitus non rerum contingentium, ut Ars & Prudentia, sed necessariorum: & quidem non principiatorum, demonstrabilium, ut Scientia, & ex parte Sapientia, sed ipsorum indemonstrabilium principiorum.

*De Intelligentiâ.*

C. 7. *Sapientia* habitus est contemplativus rerum maximè honorabilium, quin & eorum, ex quibus omnia constant, principiorum. Hæc ut similis est quodammodo Scientiæ Intelligentiæq;: ita debet à Prudentiâ distingvi omninò. Nam Prudentia consultat & in rebus humanis occupata ad actionem singularium se demittit; Sapientia non consultat, sed res homine ipso diviniore contemplan in eo acquiescit, [ X. 7. ]

*De Sapientia.*

C. 8. *Prudentia* aliquantò diutiùs immorandum est nobis. Ea ab habitu politico non re, sed ratione differt, [ simile quid V. 1. ] Prudentiam enim solemus appellare, quatenus per eam aliquis sibi; Politicum habitum, quatenus civitati rectè consulit. Sicut autem, qui civitati benè prospicit, is simul & sibi, ut civitatis membro: ita ne sibi quidem perfectè poterit, qui non & Reip. Quare nec juvenes, ut

*Iterum de Prudentiâ.*

Ejus  
partes:

ut minùs experti, prudentiam assequuntur. [I. 3.] Jam Politicus habitus, seu *civilis Prudentia* duas habet partes. *Prior*, eaq; architectonica, vocatur *legislatoria*: *posterior*, quæ ex legum præscripto singula administrat, generis nomine *civilis*. Et hæc iterum in *consultatricem* & *judicatricem* subdividitur.

Et con-  
nexa:

εὐβουλία

C. 9. Prudentiæ adherent *εὐβουλία*, *συώεσις* & *γνώμη*. His enim vocibus certas quasdam prudentiæ sive comites sive ministras denotabimus, ut sequetur. *Εὐβουλία* seu *bona consultatio*, nec scientia est, nec *εὐσυχία*, vel sagacitas, (*ἀγχινοία*.) nec opinio, sed consilii quædam rectitudo, & quidem talis, quæ ad honestum ipsius prudentiæ finem media convenientia iusto, prout casus postulat, tempore invenit.

συώε-  
σις.

C. 10. *Συώεσιν solertiam* vocamus vim illam, dictata aliorum, qui prudentes sunt, in universum probè recteq; tum percipiendi, tum præcipuè judicandi. Idem enim cum prudentiâ habet objectum. Unde intelliges, quomodo ea cum ab opinione, tum à scientiâ, tam à rerum particularium notitiâ, quales sunt v. g. medicina vel geometria, distingvi debeat.

γνώμη.

C. 11. *Γνώμη sententia* (unde *συγνώμη*, venia dicitur,) vis illa est animi, quâ vir æquiti-  
tatis

tatis studiosus in iudicando rectè se habet. Versatur & hæc potentia, perinde ut solertia, atq; prudentia, circà res singulares & agibiles.

C. 12. Nunc illud videamus: an ad vitam beatam Sapiencia, ac item Prudentia conferant aliquid ita eximium, ut principatus ipsis meritò deferatur? Possis enim de utraque dubitare, siquidem Sapiencia planè nihil agibilium rerum contemplatur: Prudentia verò, etsi hoc facit, tamen non tam in eâ, quàm in morali virtute summa beatitudinis sita esse videatur: sicuti ad sanas actiones ipsa sanitas haud dubiè plus confert, quàm sanitatis procurandæ scientia. Verùm enim verò, quod ad Sapienciam attinet, ab eâ vitæ contemplativæ, non activæ Beatitudo exigì debet. [X. 7. 8.] Prudentia verò à morali virtute dividenda non est, cum sit utriusq; simul idem opus, neque, ut scientia medica sine sanitate, sic item sine virtute morali prudentia esse possit. Et hinc prudentiam oportet distingvere à *δευότητι*, [conf. VII. 10.] quæ est naturale in rebus inveniendis ingenium seu acumen, aut naturæ in hoc genere potiùs aptitudo. Hæc enim ad res malas abuti quis potest, non item prudentiâ, etsi illa naturalem istam *δευότητα* prærequirit.

An Sapiencia & Prudentia principes sint omnium virtutum?

Cōnexio Prudentiæ cum virtutibus moralibus,

& distinctio à *δευότητι*?

C. 13.

Item mo-  
ralium  
virtutū  
à natu-  
ralibus  
ad eas po-  
tentis.

Cōnexio  
virtutū  
moralium  
inter se.  
Pruden-  
tia an  
imperet  
Sapien-  
tia?

C. 13. Consimilitèr virtutes ipsæ morales à naturalibus ad eas inclinationibus, (quales in pueris quoq; deprehendas, quodammodò & in bestis,) distinguendæ sunt. Inclinationes hæ possunt esse sine illo mentis oculo, Prudentiâ. Sed tunc non secus atq; animal, robustum quidem, sed cæcum, progrediendo valdè offendunt. Tùm verò demùm virtutes appellabuntur, cùm Prudentia accesserit. Cum quâ quoniam in eodem homine intimè coalescere possunt, quas diximus, virtutes morales, ideò habitūs sunt nō modò *secundum*, sed & *cum* rectâ ratione operantes. E quo & intelligas, connectente prudentiâ, omnes inter se cohærere virtutes morales, nec ullam abesse posse ei, qui vel unam habeat, [VII. 2. & 10.] Cæterùm si quis putet, Prudentiam imperare etiam ipsi Sapientiæ, errabit. Non enim Sapientiæ, sed pro Sapientiâ imperat.

## LIBER VII.

### *De Semivirtute. Item de Voluptate.*

C. 1. Quæ de virtutibus vitiisque moralibus hucusq; diximus, de *perfecto* eorum statu (eum vel ratio perversitatem appetitūs pro-

stra-



stravit, vel appetitus rectam rationem planè corrupit,) exaudienda sunt. Exponemus jam de virtutibus vitiisque; *imperfectis*, seu tantùm inchoatis: *semivirtutes & semivitia* vulgò nuncupant. Semivirtutis exemplum continentia, cùm abstinemus quidem à voluptate illicitâ, sed appetitu adhuc reluctante; Semivitiï incontinentia, cùm non abstinemus, sed obmurmurante ratione. Sunt enim qualitatum circâ mores pravarum generâ tria: *vitium* (perfectum), cui *virtus* (perfecta:) *incontinentia*, cui *continentia* manifestè opponitur: & *feritas*, cui nos, quod veteres neglexerunt, opponemus virtutem plusquàm humanam, eamq; *heroicam* appellabimus, seu divi-  
nam. Facit enim hæc ex homine quasi Deum; ut quasi bestiam feritas, [*infra c. 5.*] sed de hoc ultimo pari plura dicere omitto. Est enim rarum. Redeo ad *continentiam incontinentiamq;*. De quibus hæc ferè video afferri vulgò: *Primò*, continentem laudari, incontinentem culpâri debere. *Secundò*, eum qui perseveret in sententiâ, continentem esse; qui secus, incontinentem. *Tertiò*, incontinentem agere scientem. *Quartò*, temperantiam à continentia nihil differre, sicut nec ab incontinentia intemperantiam. *Quintò*, prudens qui sit, eum non esse incontinentem.

*Sextò*,

*Tresgradus virtutum & vitiorum*

*de virtute heroicâ obiter*

*De continentia & incontinentia placita veterum*

*Sexto*, non voluptatum modo corporalium, sed iræ quoque, honoris & lucri esse incontinentiam. Sed in *quarto* & *quinto* dissentiunt quidam.

*eum du-  
biis.*

C. 2. Quamquam nec in cæteris expedita aut vera sunt omnia. Nam de *tertio* dubitaret quis ex mente Socratis, qui negabat, quemquam peccare scientem, tantum credebat inesse scientiæ robur. Sed hoc pacto efficeretur, planè nullam dari incontinentiam, ut alia taceamus. [*Adde cap. sequens.*] Sunt qui incontinenti adimant & ipsi scientiam, certò persuasam, putent autem satis esse, si opinionem illi, hoc est, levem & incertam veri suspicionem tribuant. At verò hoc satis non est: foret enim sic veniâ dignus incontinens. Relinquenda ergò ipsi *scientia*. Sed cave, hanc *prudentiam* voces. Hæc enim nihil vitii cõpatitur, [*VI.13. & infra c.10.*] Jam & *secundum* illud, perseverantem in sententiâ continentem esse, limitatione opus habet. Non enim de quavis sententiâ, sed verâ tantùm intelligi debet, [*infra c.9.*] Licebit insuper novam proferre quæstionem: *si ne incontinente deterior in-temperans?* Et est sanè. Sed videri tamen possit melior. Putes enim, facilius eum sanari posse, cum videatur hoc unum ipsi ad sanitatem deesse, ut convincatur erroris sui, quo

voluptates illicitas pro licitis habuit. [*Ἰν-  
νερον vide infra c. 8.*] Deniq; & de sexto du-  
bites. Si enim iræ quoq; , lucri, & aliarum  
rerum est Incontinentia, quis tandem incon-  
tinens erit simpliciter? Nemo enim unus  
in omnibus incontinentem se gerit. [*vide c. 4.*]  
Sed hoc rude quoddam scrutinium fuerit.  
Nunc super his placitis justam censuram ex-  
pediemus.

C. 3. Utemur autem ordine arbitrario,  
& rem in pauciora puncta contrahemus. Pri-  
mum: *Habetne incontinens ejus rei, in quâ  
versatur, sive scientiam, sive opinionem for-  
tem?* (utrum enim dicas, nihil hîc refert.) Re-  
spondeo: habet partim, partim nō habet. [*conf.  
cap. præced.*] Habet, ut eâ præditus *habitu-  
liter*; non habet, ut eâ non utens *actualiter*.  
Habet notitiam propositionis *majoris* in Syl-  
logismo practico, quem ratio dicitat, puta: *omne  
illicitum esse fugiendum.* Sed cum sub-  
sumendum est, aut ignorat *minorem* hanc:  
*Voluptas præsens est illicita:* aut, si non igno-  
rat, majorem illam ad tempus seponens, loco  
ejus ad hanc interim contemplandam, (*Nul-  
lum volupe est fugiendum,*) â præsentia volu-  
ptatis trahi se patitur. Sed abscedente ite-  
rum post factum voluptate redire solet con-  
scientiæ dictamen,

*An in-  
cōtinens  
agat sci-  
ens?*

C

C. 4.

Quod sit  
objectum  
inconti-  
nentia?

C. 4. Secundò: *Quodnam est incontinentia objectum?* Certum est, incontinentiam omnem in voluptatibus versari. Sed cupiditatum circà voluptates vocamus *alias* naturales, ut cibi, potûs, veneris; *alias* contrà naturam, de quibus postea; [c. seq.] *alias* deniq; medi generis, ut pecuniæ, honoris. Qui in *primo* genere peccant, hi simpliciter, [respice cap. 2.] h. e. nullo addito alio vocabulo dicuntur incontinentes. Est enim semivitii hujus eadem quæ intemperantiæ materia. Atq; hæc vocis hujus propria est & hîc quæsitâ significatio. Qui verò in *ultimo* genere peccant, non nisi cum adjectione, atq; adeò per similitudinem tantùm, ita vocantur, ut incontinentes lucri, vel honoris.

C. 5. In *secundo* genere cupiditates sunt prorsùs abominandæ, qualis est, gratiâ exempli, libido carnibus humanis vescendi. Beluinus enim potiùs, quàm humanus hic affectus est, quem ideò suprâ [c. 1.] feritatem diximus. Sed est tamen inusitatarum istiusmodi affectionum quædam diversitas. *Aliæ* quippe naturæ, *aliæ* morbo aut furori, *aliæ* consuetudini originem debent. Quicquid sit, ne hæc quidem est incontinentia propriè ac simpliciter dicenda, sed cum adjectione, incontinentia ferina, morbosa, aut quocunqve  
tan-

tandem nomine, quod addi sit commodum.

C. 6. Quæres: *An simpliciter incontinens deterior sit in continente ira?* Sic nobis videtur. In cupiditatibus enim gulæ & veneris rationis minus est, spontanei, insidiarum, contumeliæ plus. Sed *estne etiam feritas vitio morali deterior?* Abominabilior quidem, sed tamen minus perniciosa. Caret enim vi mentis, quæ quia in humaniter vitiosis adhuc residua est, ad nocendum ingeniosior accedit.

*An simpliciter incontinens deterior in continente ira? An feritas vitio pejor?*

C. 7. Tertio: *Quomodo differunt temperans, continens, tolerans: & rursus, intemperans, incontinens, mollis?* Sanè enim differre hæc inter se statuimus. Sed hîc oportet prius, quid *tolerantia* nobis & *mollities* dicatur, exponamus. Repetatur ergò objectum, quod suo loco [ III. 10 11. ] temperantiæ dedimus, corporis scil. voluptas & dolor. Circà utrumq; enim temperantia. Sed continetia cum oppositâ incontinentiâ circà voluptates tantum; tolerantia, cui mollities opponitur, circà dolores. Jam ut incontinentia & mollities, eo quo diximus modo, ab se differunt: sic ab intemperantiâ ambæ, quòd intemperans deliberatò peccat consilio, incontinens verò & mollis præter propositum. Quæ-

*Discrimen temperantiæ, continetia, & tolerantia, item hinc contrariorum.*

Inconti-  
nentia  
duplex:

re & hos facti postea poenitet, non item illum,  
[c. seq.] Porro *incontinentia duplex est: ἀεργ-  
πείθεια, precipitantia, & ἀδύερα, infirmitas.*  
Illa eorum est, qui propter celeritatem affe-  
ctus non consultant prius, & ita peccant: haec  
eorum, qui consultant quidem, sed acrimonia  
affectus superati peccant tamen.

Et utra  
pejor?

an incō-  
tinens  
pejor in-  
tempe-  
rante?

C. 8. Atque inter hos, *precipites infirmis*  
minus mali sunt. Minus enim sponte pec-  
cant. Sic & *incontinentes intemperantibus:*  
poenitet enim eos, [c. preced.] & morbum  
suum, quem ex intervallo redeuntem habent,  
agnoscunt, unde & sanabiles sunt, judicio  
scilicet nondum plane corrupto. In intempe-  
rantibus omnia contra se habent. [hinc sol-  
vitur dubium capituli 3.] Ex his de discrimine  
quoque temperantiae & continentiae facile erit  
statuere.

Discri-  
men con-  
tinentis  
& perti-  
nacis.

C. 9. Videamus nunc differentiam inter  
*continentem & ἰσχυρογνώμονα, seu pertinacem.*  
Uterque enim perseverat in sententia. Sed con-  
tinens in veram [supra c. 2.] adversus cupidita-  
tem, ideò quia ratione ducitur; at pertinax  
in quavis etiam adversus rationem perstat,  
vincendi ductus libidine. Et hic habet ali-  
quid incontinentiae, ac vituperandus est. Sic-  
uti contra laudem meretur, qui ab opinione  
falsa, aut proposito malo amore veri & ho-  
nesti

neſti deduci ſe patitur. Porro opponitur continentiaæ præter incontinentiam, quæ illius eſt *exceſſus*, ſemivitiium *defectus* quoque, ſed de eo nominando, quia rarum eſt, nemo cogitavit.

*Continentiaæ extrema duo.*

C. 10. Super eſt, ut definiamus: *an in prudentem virum cadat incontinentia?* Non cadere, ſatis intelligi poteſt è dictis alibi, [VI. 13. & hujus libri c. 2.] Si quis contrarium exiſtimat, eum prudentiaæ & *δευότης* seu ſolertiaæ (nam cum hæc conjungi poteſt incontinentia,) ſimilitudo decipit. [conf. VII. 12.] Et hæc de *ſemivitiis* dicta ſunto.

*An in prudentem cadat incontinentia?*

C. 11. Nunc de *voluptate* agemus. Eſt enim & hæc Ethicæ conſiderationis, tum quia virtutis objectum commune, [II. 3.] tum quia beatitudinis comes eſt, [infra c. 13. & X. 3.] Initiò tres occurrunt de voluptate affines ſibi *ſententiæ*. Quidam enim negant, ullam voluptatem eſſe bonam. Alij pleraſq; certè eſſe malas contendunt. Tertij, ſaltem nulli voluptati cum ſummo bono eſſe commercium.

*De voluptate*

*ſententiæ aliorum*

C. 12. Hæc ut à nobis rectè dijudicentur, Voluptatem, *qualis* in ſe & ſua natura, non *qualis* in hoc aut illo ſubjecto ſatis abſar- da interdum nobis offertur, conſiderandam eſſe præmoneo. Neceſſe item eſt, volupta-

*cum cenſurâ: ubi voluptatis diſtinctionis & definitionis.*

tum *duo* faciamus *genera*. Unum *imperfe-*  
*ctarum*, quæ sunt via ad bonum naturæ ha-  
bitum, ut voluptas cibi & potus; alterum  
*perfectarum*, quæ naturam optimè affectam  
in ejus opere sequuntur, ut voluptas contem-  
plantis ex habitu. *Priores* antecedentem  
habent dolorem; [*infra c. 14.*] *posteriores*  
non habent. *Priores* appetuntur à pueris  
quoque & bestiis; fugiuntur, si sint nimix, à  
prudentibus, ut quibus præstantissimæ animi  
functiones impediuntur. [*X. 5.*] nō item *poste-*  
*riores*. Qui ergo negant voluptatem esse bo-  
nam, nedum summè bonam, *prioris generis*  
*voluptatem* in animo habent, [*X. 3.*] Itaque  
& definiunt illam, quòd sit *generatio quædam*  
*sensibilis ad nature instaurationem ordinata*.  
Et talem non tam pro fine seu bono, quàm pro  
medio ad finem habentibus ignoscemus. At-  
qui debebant veram voluptatis naturam non  
ex hoc genere, quod est *per accidens*, sed ex  
altero illo *per se* tali æstimare, & nobiscum  
sic potiùs definire: *Voluptas* (perfecta scil.) *est*  
*functio* [*metonymicè hoc capiendum, vid.*  
*X. 4. 5.*] *habitus secundum naturam*, i. e. o-  
ptimè affecti, *non impedita*. Nec valet argu-  
mentum: Voluptatis nulla est ars: ergo vo-  
luptas non est bona. Non enim finium artes  
sunt, sed mediorum; non functionum, sed  
poten.



potentiarum: ut taceam, cibariae voluptatis, similiaque; repertas utique; esse artes, ut coquinariam. Qui contendunt, voluptates esse malas, si de turpibus intelligunt, nihil ad nos; [adde X. 3.] si de honestis, male probant ex eo, quod interdum valetudinem laedant, ut experiuntur homines speculativi. Id enim est ex accidente, perinde, ut contingit, rerum corpori salubrium apparatus nocumento esse rei pecuniariae.

C. 13. Sententia nostra haec est. *Primò*, Voluptas absolutè & in se spectata bonum est. Opponitur enim positivè rei omnium confessione malae & fugiendae, dolori. [X. 2.] *Secundò*: Etsi quaedam voluptas mala est, nihil tamen prohibet, quò minus alia quaedam possit esse summè bona, [atq; adeò Summo Bono innexa, vide supra c. 11. & X. 3.] sicuti quaedam scientia est summè bona, licet in genere scientiarum sint etiam quaedam malae. Imò bellè sibi respondent definitiones Beatitudinis & Voluptatis. Ultraque enim operatio est ex habitu procedens, non impedita. Quare & omnes, nisi vim nobis faciamus, fatemur, beatè vivi non posse, nisi & jucundè: adeò, ut huius rei sensus etiam ad bruta quodammodo pertingat. [adde X. 2.] Hoc interest tantum, quod vir probus & sapiens voluptatè eam, quæ

*Sententia  
Aristote-  
lis: Volu-  
ptatem,  
esse bonã,  
& quan-  
dam sum-  
mè bonã.*

vera est, & perfecta, cæteri hujus ignoratione simulacrum ejus sectantur, cui &, quia notissimum est, voluptatis nomen præ veris deliciis vulgò adhæsit.

*Voluptatum corporis & animi collatio.*

C. 14. Non hoc volo, *corporis* illas voluptates simpliciter esse malas, quomodo malus est dolor: moderatæ enim in bonis habendæ sunt: sed hoc tantum, non perfectè bonas, non optimas esse. Quæ laus *animi voluptatibus* debetur. In his enim non datur nimum; neq; oriuntur illæ de rebus ex eventu, h. e. per modum medicinæ, sed naturâ jucundis. Quælia jucunda si sola postularentur ab hominum naturâ, eveniret, ut & ab omnibus quærerentur, & adeptione illarum in summâ quiete & tranquillitate [ *conf. X. 7.* ] degeremus. Jam, quòd avidius ferè voluptates corporis venamur, fit partim, quia illas dolor præcedit, [ *suprà c. 12.* ] cujus sensu fieri non potest quin stimulemur in hujus remedii desiderium: partim, quia meliorum copiam non habemus. Nam omni voluptate pariter & dolore vacare non possumus. Et hætenus de *Voluptate*. [ *Hunc tractatum resumit Philosophus capitibus 5. prioribus libri X.* ]

LI-

## LIBER VIII.

*De Amicitia.*

C. 1. Sequitur de *Amicitia*, re non modo virtuti valde cognata, sed vitæ humanæ per omnem fortunam, ætatem, statum necessariâ, jucundâ item, & naturæ atq; honestati perquam consentaneâ. Ejus essentiam alii *similitudine*, alii *dissimilitudine* [ *conf. c. 8.* ] contineri dum pugnant, tantùm non ad *Physicas* disputationes dilabuntur. Sed mihi intra terminos moralis philosophiæ manere deberetum est.

*Amicitia encomium.*

C. 2. Præsuppono primò, rerum amabilem tria esse genera, honestum, jucundum, utile. Ubi nihil refert, id, quod amatur, bonum, tale sit absolutè, an alicui; tale verè, an apparenter modò. *Secundò*, homini cum inanimatis nullam intercedere amicitiam. Nam nec redamant illa, nec illis propriè bene velle nos dicimur. [ *discrimen benevolentia, amoris, & amicitia inveniendum est è collatione huius capituli cum capitib. quintis huius & sequentis libri.* ] Vi secundi præsuppositi amicitiam definitio *benevolentiam mutuam*, & (videtur enim hoc [ *IX. 5.* ] addi oportere,) *non latentem.*

*definitio.*

C 5

C. 31

*Amicitia  
æqualis  
triplex,  
honestæ,  
jucundæ,  
utilis: &  
harum in-  
ter se  
compa-  
rationes,  
ac discrimina.*

C. 3. Vi primi autem, à causâ scil. impul-  
sivâ, divido amicitiam in *honestam, jucundam,  
& utilem*. Utilem senes ferè, jucundam juve-  
nes sectantur. Sed hæc duo genera *imperfec-  
ta* sunt, nec satis sincera. [IX. 5.] Talium  
enim amicorum quisq; alterum amat non  
propter ipsum, sed quia sibi jucundus utilisve  
est. Quod ubi esse desit (solet autem hoc  
facilè fieri,) de amicitia ipsâ actum est ilicò.  
Ex adverso honesta proborum amicitia, quia  
virtute nititur, *perfecta* est, sincera, constans,  
[IX. 6.] simul jucunda atq; utilis, (sed eadem  
rara. lentèq; coalescens.)

C. 4. Digna ergò omninò, quæ maximè  
& *per se* amicitia vocetur. Nam reliquis bi-  
nis generib. *similitudo* tantùm, quam cum hæc  
habent, altera quia jucunda, altera quia utilis,  
(vix enim est, ut imperfecta amicitia utrinq;  
utilis pariter & jucunda [conf. c. 6.] sit,) hoc  
nomen conciliat. Quæ & stabilitate interdum  
honestè cõparari possunt, si æquali utilitate vel  
jucunditate utrinq; expleantur, aut morum  
similitudine inolefcent. Manet nihilomi-  
nùs grande *discrimen*, quod honesta tantùm  
probis, reliquæ probis juxtim ac malis secum  
intercedunt: quòd honesta item querelis, à  
quibus non sunt immunes cæteræ, [infra c. 13.  
& seqq. & IX. 1.] vacat. Neque tamen ideò  
ami-

amicitiæ nomine eas prorsus dedignari volui, ne à loqvendi populari consuetudine nimirū abscederem.

C. 5. Jam ut in virtutibus, sic in amicitiiis *habitus* ab *exercitio* distingvi par est: utq; virtutis, [ I. 5. ] sic amicitia habitus etiam cessante (modò ne nimis diu) exercitio, (quod inter amicos mutuis absolvendum officiiis absentia alterius interrumpitur,) conservari potest. Interim amicis nihil æquè conveniens, animisve conglutinandis idoneum, quàm *una vivere* [ IX. 12. ] iisdem moribus oblectatos. Quam ad rem qui inepti sunt, ut senes & austeri alii, horum, si qua est, amicitiam malim ego benevolentiam qualemcunq; appellare, vel amorem. [ *conf. supra c. 2. & IX 5.* ] Inter amorem verò (qui etiam adversus inanimata esse potest,) & amicitiam hoc interest, quod inter affectum & habitum.

C. 6. E contrario inter juvenes citiùs coit amicitia vinculum. Perfectæ amicitia imperfectæq; licebit hoc etiam *discrimen* annotare, quòd hanc, non item illam, unius cum multis esse contingit. [ *conf. IX. 10.* ] Ex imperfectis autem jucunda veram amicitiam magis respicit quàm utilis. Et jucundam quidem utili etiam *divites* anteponunt. Possunt enim carere utili, jucundâ ne velint quidem.

At

At *potentes*, ut principes, & ad quærendam jucundam impelluntur à naturâ, & utili fidâ. quæ aliorum operâ maximè indigent. Verùm vix est, ut eosdem amicos jucundos pariter, atq; utiles [ *conf. c. 4.* ] experiantur. De iis potentibus loquor, qui tales esse, quàm probi, malunt. His certè nemo se facilè vir probus amicum adjunget, nisi fortè sit potens & ipse. Secùs enim amicitia hujus arithmetica proportio vix constabit. Observes, quæ hæcenus dixi ad amicitiam *æqualem* pertinere, eorum scilicet, quos officia *arithmetica* quasi proportionem obtinentia colligant.

*Amicitia  
a inæ-  
qualis.*

C. 7. Sed datur præterea amicitia *inæqualis*, inter patrem v. g. & filium, senem & juvenem, virum & uxorem, breviter imperantem quemvis & parentem, quæ tales. Hæc in tot species subdividi rursus potest, quot superiorum inferiorumq; sunt genera. Inter hos officia neutiqvam æqualia sunt *arithmetice*, sed *geometricè*. Estq; illorum mensura gradus amoris. Quod sic intelliges, ab inferiore semper plus amoris esse referendum superiori, quàm acceperit, h. e. non amorem tantùm, sed & honorem [ *conf. c. seq.* ] Hic licebit intueri pulchrum *amicitiæ justitiæq; discrimen*. Nam Justitiæ species distinguuntur & illæ quidem arithmetica & geometricaq; pro-  
por-

portione [V. 3. 4.] Sed arithmetica[m] iustitiam dignitate locoq; antecedit geometrica. Hic contrarium evenit. Dignior enim & magis propriè dicta est arithmetica illa amicitia, quàm hæc geometrica. Qualis autem cunq; est amicitia, omninò proportione aliquâ amicos contineri necesse est. Qui nimium ab se distant, ut rex & vilissimus homuncio, sapientissimus vir, & stupidissimus bipedum, inidonei sunt, qui vinciantur nodo amicitia. Quare nec putes amicitia lege id postulari, ut amicus amico ultra ea bona, quæ in hominem cadere possunt, aliquid augustius exoptet.

C. 8. Quæres: *utrum prestabilius sit, amare an amari?* Hic, quid vulgus hominum responsurum sit, in aperto est. Malunt enim se amari, nimirum quia & honorari expetunt. Nam affinia sunt honor & amor. [conf. c. preced.] At qui nos scimus, honorem non debere per se expeti, quanquam sæpè ne solet quidem. Contrà ut amemus, per se studendum esse vel natura nos docet exemplo matrum, quibus jucundum est amare filios, etiam si non redamentur. Et simpliciter utique magis ad amicitiam pertinet amare, quàm amari. Quare laudantur & *Φιλόφιλοι*, h. e. qui quos ament potiùs, quàm à quibus amantur, quærent. Etiam, qui impares sunt, non  
aliter

*Collatio  
amoris  
activi &  
passivi.*

aliter æquantur sibi, quàm amando quisq; ut decet. Nimirum hîc valeat illud: *similitudine* conflare amicitiam. Sed est virtutis quoque, jucunditatisq; mutuae similitudo. Hæc honestas conciliat jucundasq; amicitias. Nam utiles *dissimilitudine* potiùs (dum alter videlicet eo indiget, quod alteri superest,) coire credas: nisi tamen dicendum sit, hos tales non dissimilitudinis sensu, sed mediocritatis appetitu in amicitiam ferri. Verùm his subtilitatibus jam ante [c. 1.] interdiximus nobis.

*Collatio  
amicitiæ  
& societa-  
tis.*

C. 9. Amicitia valdè cognatum quid est *societas*. Neutra enim sine jure, sine communione: etsi communio alibi major alibi minor est: quod de jure quoque, & quæ hujus violatione oritur, injuriâ intellectum velim. Porro nulla est societas, quæ non debeat ad *civilem totius Reip. societatem*, tanquã ad caput referri. Plerasq; enim, ut civilem ipsam, pervasit utilitas. Neq; sunt ab utilitate vitæ sejungendæ penitùs illæ, quæ voluptatis gratiâ maximè inventæ videntur.

*Collatio  
domestica-  
rarum so-  
cietatũ,  
cum for-  
mis Re-  
cip.*

C. 10. Jam *rectarum* Rerump. tres sunt formæ, Regnum, Aristocratia, Politia; *aberrantium* totidem, Tyrannis, Oligarchia, Democrazia. Harum naturam ac differentias qui probè perspectas habebit, facilè is intelliget;



get, *Regni* simulacrum in paternâ esse societa-  
te; *Tyrannidis* in herili; *Aristocratiae* in con-  
jugali, cum uterq; conjugum id, quod se di-  
gnum est, curat; *Oligarchiae* in eadem, cum  
vel vir ob potentiam, vel ob divitias foemina  
omnium rerum curationem ad se trahit;  
*Politiae* in societate fratrum, (nisi nimium æ-  
tate distent;) *Democratiae* tandem in domo ta-  
li, quæ vel domino caret, vel eum habet sic  
imbecillum, ut cuiq;, quod libitum est, faci-  
endi sit potestas.

C. II. Similiter possis reperire, quæ Res-  
publicæ quibus amicitiiis sint similes. Quâ in  
re unicè ad jus, quod est ad alterum alteri, re-  
spicere oportet. Tantum enim in Rep. ami-  
citiæ viget, quantum juris. Quare in Regno,  
qui imperat, paternâ; in *Aristocratiâ*, con-  
jugali amicitia subditis devinciuntur. In  
*Politia*, perinde ut inter sodales, [c. seq.] fra-  
ternæ amicitiae figuram agnoscas. Est enim  
in hac fundamentum æqualitas, perinde ut  
in *Aristocratiâ* præstantia, in Regno benefi-  
cium. In corruptis Rebusp. parum est repe-  
rire amicitiae, quia & parum juris. Minimum  
ergò, aut nihil potius, in pessimâ corrupta-  
rum, *Tyrannide*: sicuti contrâ in harum opti-  
mâ *Democratiâ* sic satis: nam & hic imperan-  
tibus & subditis multum juris & rei commu-

Collatio  
Rerump  
cum ami-  
citiis do-  
mesticis

nis intercedit: in Tyrannide nihil, ad eum modum, quo homini cum re inanimá, domino cum servo, quâ tali, nihil est juris. [ *V. 6. & 11.* ]

*Nova a.  
amicitiae  
divisio.*

C. 12. Tametsi communitate omnis (ut haecenus patuit,) constat amicitia; tamen quia communitas ista in alio genere magis elucet, in alio minus, possumus amicitiam illam, in quâ *pactum* quoddam ex consensu intercedens communionis rationem manifestiorem facit, qualis civium, tribulium, hospitum, distingvere ab amicitis hinc *sodalium*, quos studiorum similitudo, hinc *cognatorum*, quos sanguis quasi ultrò congregat. *Cognatos* vocamus primò parentes filiis. — Hæc enim origo est omnium cognationum, sed parentum amor vehementior est, quàm liberorum. *Deinde* fratres inter se, quorum amor æqualis ferè, & ipsi sodalibus [ *c. præc.* ] simillimi. *Lenig*, patruales, & inde cæteros, alios aliis propinquiores. *Viri & uxoris amicitia* non cognatorum ea est quidem, sed maximè naturalem tamen facit illud homini pariter ac brutis inditum procreandi sibi simile desiderium. *Quam* in homine insuper virilium muliebriumq; in re domesticâ functionum discretio adauget, liberi ipsi quasi commune vinculum arctius constringunt. Haecenus naturam amicitiae

citiae & varia ejus genera exposuimus. Nunc officia videamus. Horum leges non nisi ex jure, quod in alterum habet quisq; describendae sunt.

Officia am-  
icorum

C. 13. Sed antequam hoc agamus, nova nobis *aequalis* amicitiae partitio praemittenda est. In ea enim non semper *pares*, sed interdum *impares*, (ut vir bonus meliori, utilis utiliori, jucundus magis jucundo,) copulantur. In amicitia ergo aequali *parium* cum amore, tum caetera paria utrinq; esse oportet. Id nam fiet, orientur quærelæ. Nunquam autem fiet in amicitia honesta. In jucunda & utili fieri potest. [*suprà c. 4.*] In utili tamen maximè. Unde & hæc præ jucundam quærelarum esse plena solet. Sed amicitia talis iterum *bipartita est*, legitimam & moralem liceat appellare. *Legitima* pactis conventis definitum habet, quid alter referre alteri debeat, *sive* de manu quasi in manum, ut interemptores, solvi pretium convenerit; *sive* solutioni non certus dictus sit dies. *Moralis* nihil horum definit quidem, sed tamen qui confert beneficium, tacitè vel aequalem gratiam, vel etiam aliquid majus expectat. Et hanc ipsam ob causam, quia nihil definitum, hic est, in morali amicitia plus nascitur querimoniae, quam in legitima, dum uterq; scilicet

In ami-  
citiâ æ-  
quali pa-  
rium:

D

æsti

æstimationem facit pro lubitu, & speciosis rationibus suam alter ingratitude obvelat, alter aviditatem. Verùm hîc, nostro iudicio, justior beneficii mensura illa est, quæ juxtâ utilitatem accipientis, quàm dantis beneficentiam exigitur. Versamur enim in amicitia talî cui pro fine ultimo est utilitas. In honestâ contrâ judicabitur. Ibi enim precium beneficii ex animo dantis inveniri debet.

in amicitia æqualimparium:

C. 14. In *imparium* æquali amicitia. (sic enim vocamus,) criminationibus locus est facile. Qui enim dignitatis plus habet, aut locupletior plus in alterum emolumentum contulit, queretur, non satisfieri merito virtutis aut beneficii sui; alter contrâ gratuita dicet amici divitis in egenum esse debere beneficia. Ac videtur utroq; æquum dicere. Adhibendum ergò hoc temperamentum, ut superior plus *honoris*, inferior plus *lucris* auferat ab altero. Ita enim utrinq; dati & accepti rationes debitam habebunt proportionem, cum honor ultimum sit illud, quod deficientibus aliis præmiis præstari pro beneficio potest, [*conf. IV. 13*] & verò æqui consuli etiam ab altero debet. Exigit enim amicitia non necessariò id, quo dignus est benefactor, sed quod est in facultate debitoris.

## LIBER IX.

*Adhuc de Amicitia.*

C. 1. Exposita sunt officia amicitiae æqualis *similaris*. Similarem voco, cum utrinque vel honestas spectatur, vel utilitas, vel voluptas, sive pares sint amici, sive impares. Huic *dissimilaris* opponitur, cum nempe ab una parte voluptas, ab altera lucrum captatur. Qvalis est (utar exemplo nobis opportuno,) inter vetulam lascivam & juvenem avarum conjuges. Hanc comparare libet cum amicitia, quæ sutori v. g. & pistori intercedit. Non enim calceum pro calceo, aut panem pro pane rependi hi volunt, sed calceum pro pane. Et hi facile mutuam benevolentiam tuebuntur, quia in promptu est communis utriusque mercis & certa mensura, numus [V5.] Quæ quia nulla est perinde pro lucro quoque & voluptate reperta, nec tamen aliter conservari potest hæc dissimilaris amicitia, quam æqualitate retributionis in re dissimili: ideo creberrimæ sunt in tali amicitia de iniquitate alternâ querendi occasiones, & ipsa, cum alioqui nitatur bonis valdè instabilibus, de facili dissuitur. *Quid ergo?* Nullane prorsus erit in tantâ rerum dissimilitudine men-

*in amicitia dissimilari.*

suræ inveniendæ ratio? Erit. Cur enim non possint ambo ante contr. et am amicitiam de eo convenire, quantum ab altero expectare quisq; habeat? Atq; id sanè optimum factu fuerit. *Quid autem, si mutua hujusmodi definitio non præcesserit?* Tùm æquum videtur, æstimationem ut faciat, non qui prior contulit, quasiq; venale ult. ò exposuit suum bonum, sed qui prior accepit, dummodo seqvatur judicium suum, quod habuit re nondum acceptâ. Nam sic in foro quoque pretium statuere non tam venditoris est, quàm emptoris.

*in con-  
cursu a-  
micorum  
dispariū*

C. 2. Plus difficultatis est in iis quæstionibus, cùm *concurrentes* v. g. pater cum viro prudenti aut digno, benefactor cum sodali aut patre, aut viro aliàs honestissimo, si utriqve vel pareri vel inferviri simul non possit, ambiguos nos facit, *utrum utri præferamus.* Tametsi enim æquius est in se, ut referatur beneficium quàm inchoetur; possunt tamen his officiis appendentes circumstantiæ, (ut magnitudinis & parvitas, ut honestatis, ut necessitatis,) contrarium svadere: sicuti non dubitem pecuniam in captivi patris redemptionem impendere potiùs, quàm redemptori meo reposcenti refundere: cùm ne illud quidem (*reddendum esse beneficium,*) exceptio-

ptione careat omnino. Ambigam enim merito debeamne redimere vicissim redemptorem meum, etiam si sit sceleratissimus? mutuum dare vicissim creditori olim meo, etiam pessimæ, vel saltem suspectæ mihi fidei homini? Quare in genere quidem valet hoc: *nec eadem, nec omnia, nec quantacumq;, nec quovis tempore modo ve omnibus tribus oportere; in specie verò hæc singula per omnes circumstantias definiri non possunt.* Hoc tamen statuere licebit, in alendis, si sit opus, aut redimendis parentibus, liberos etiam se ipsos præ illis negligere, & tantum non divinâ eos veneratione prosequi decere, sic tamen, ne honorum genera confundantur. Alius enim parenti, alius sapienti viro, aut principi debetur. Imò & patri alius, quàm matri. Est & seni suus à juvene deferendus. Sodalibus autem & fratribus sua nobiscum loquendi libertas, rerumq; communium usurpatio permittenda.

C. 3. Nec dubitationibus caret *de jure rescindendi aut relaxandi amicitias*, quæ stio; nisi quod planum est, amicum voluptatis aut *lucris* nomine acceptum, si officium prior deserat, merito destitui. De honesto amicorum genere res paulò intricatior est. Nos tamen sic pronuntiabimus: *Si quis pro-*

*De rescindenda amicitia jucunda vel utili: honesta: casus primus;*

bitatis admiratione coli se credat ab alio, qui tamen aliud quidvis quærit, neq; hoc dissimulat: intellecto errore iste non habet, quem accuset, nisi deceptorem suum, hoc est, seipsum.

*secundus* Aliud est, si in probi hominis amicitiam virtutis prætextu veterator aliquis callidè irrepat. Hunc enim impostorem nemo neget majore etiam odio dignum, quàm falsarium monetæ.

*tertius* ; Quid autem, si è duobus probis amicis alter (ut est humanum ingenium) virum malum induat? Hujus, si desperatæ malitiæ sit, abrumpere protinus amicitiam nulla veritat ratio; sin corrigi possit, subsistendum putem, & annitendum, ut reducatur ad frugem.

*quartus.* Sed fingo, non degenerasse alterum, manere tantùm, qualis fuit, me contrà impendiò majores in virtute progressionem fecisse, ut jam sim ipsi incomparabilis; durabitne sic amicitia nostra? Hanc rem in simili exemplo considerare placet. Educentur unà duo honestæ indolis pueri: sed alter crescentibus annis nihil sapiat ultrà plebejum hominem, alterum ad summas dignitates eximia virtus evehat. Hic fieri non potest, ut rebus sic commutatis pristina perseveret familiaritas. Non enim iisdem rebus ampliùs delectantur ambo. Veruntamen superior ille humilem hunc non planè fastidiet, sed adversùs eum ita se, cum



cùm opus est, geret, ut antiquæ consuetudinis non planè oblitum appareat.

C. 4. *Characterem amicitiae* multi in multis ponunt. Quæ si coacervemus, sunt: amico ipsius causâ benè velle, benè facere, sospitem eum & incolumem optare, libenter unâ vivere, eadem velle, eadem nolle. Præclarè omnia. Sed nos hæc universa ad suum fontem revocantes veræ amicitiae primam originem esse statuimus *amorem* illum, quo se ipsum [ *infr. c. 8* ] vir probus, (ab hoc enim mensuram [ *X. 5. & 6* ] capi patet,) propter se, h. e. propter potiorem sui partem animum complectitur. Animum enim suum vir bonus & esse optat, & benè vivere, eumq; excolit virtutibus, quo fit, ut appetitu in ordinem coacto nec ab se ipse dissideat, & secum libentissimè commoretur, verèq; totus in idem rebus gaudeat semper, in idem doleat, nec se offendat unquam, aut in poenitendi necessitatem inducat. Sic affecti qui sunt, hi demùm cum aliis quoq; sui similibus perfectam colere amicitiam possunt. Imò nec inter improbos aliâ lege quaecumq; amicitiae simulacrum constat, quàm quia similiter affectos se esse persuasum habent. Cæterùm si quod res est, dicendum, contraria apud illos sunt omnia: siquidem perpetuo bello quisq; partes animæ

*Origo amicitiae  
amor sui  
honestus.*

inter se luctantes habet. Quare impatientiam sui aliorum sodalitate intestinam discordiam fallere quærent, adeo sibi exosi interdum, ut vitam se ipsi exuant. Proinde merito serpente pejus improbitas fugienda est.

*Connexa  
amiciti-  
& bene-  
volentia:*

C. 5. E dictis patet, cohærere omnino cum verâ amicitiam *benevolentiam*, (*εὐνοίαν.*) Sed addo, consummatam, & quâ benè volumus alteri propter ipsum. Si enim propter nos, nihil est in tali benevolentiam amicitiamq; sinceri. [VIII. 3.] Inchoata verò tantum benevolentia [conf. VIII. 2. 5.] ignotos etiam complecti & occulta esse potest. Imò ipso amore aliquid est dilutius. Optat enim quidem alteri, quem e. g. pugnans cum hoste videat, benè evenire, sed adjuvare eum opera suâ recuset. Fateor interim, progressu temporis, & consuetudine accedente, benevolentiam, quæ inchoata nunc modò est, in amicitiam justam promoveri posse.

*concordia.*

C. 6. Cohæret cum amicitiam *concordia* quoque, seu studiorum consensus (*ἰμόνοια.*) Quæ quid sit, non æstimandum venit ex eâ, quæ vel inter ignotos, vel de rebus ad speculationem attinentibus est, opinionum communitate, non enim hæc hujus vocabuli vis est: sed ex eâ, quam cives inter se publicè colunt, *concordiam*. Nam hanc non absurdè civi-

civilem amicitiam appelles. Ea verò non aliis in rebus cernitur, nisi quæ ad actionem & summam Reip. spectant. In horum ergò similibus amicorum quoque vertitur concordia. Quæ solida & constans [VIII. 3.] inter probos tantùm esse potest. Nam mali, cum se quisq; , quàm amicum spectet potius, facilè scinduntur discordiis.

C. 7. Nunc quæstiones quasdam expediemus. Quæritur primò: *Qui fiat, ut benefici magis ament eos, in quos beneficium contulerunt, quàm ab illis amentur?* De vero amore loquor, non de eo affectu, quo creditor debitori bonam fortunam optat, nimirum ne sibi res credita pereat. *Quatuor* hinc causæ veniunt in mentem. *Primò* enim benefici hominis opus quasi est ille alter. Quisque autem opus suum, (ut Poëta suum carmen,) magis diligit, quàm ab illo, si animatum foret, diligeretur. *Deinde* benefico amoris causa ipsa facinoris honestas, alteri tantùm utilitas beneficii. Major autem ex honestate, quàm utilitate voluptas nascitur. Adde, & constantior, quia etiam utilitate pereunte honestas manet. *Præterea* consentaneum est, eum, qui magis agit benefaciendo, magis etiam agere amando. *Tandem* facilius est accipere, quàm dare beneficium. Magis au-

*Cur amor benefactoris major sit, quàm beneficiarij?*

tem amant, quibus majori labore res amica constitit. Unde & matrum in liberos enixior esse amor, quam patrum solet.

An amor  
sui lau-  
dari pos-  
sit?

C. 8. Quæres secundo: rectène statuerimus supra [c. 4.] virum probum esse amantem sui? cum Φιλαντία in vitio potius ponatur, nemòq; plus aliis se ipsum amare videatur debere. Hic observabis, longè aliter nos Φιλαντον seu amantem sui, quam vulgus solet, despicere. Sunt in homine duæ potestates: rationalis una, mens, altera irrationalis, appetitus sensitivus. perinde ut in Rep. duæ partes, imperantes videlicet ac subditi. Jam ut in Rep. sic in homine pars ea, quæ est præcipua, ipsum totum reputari queat. [X. 7.] Pars autem hominis præcipua mens. Hanc ergò qui amat, eum nos verè amantem sui appellamus. Quo nomine se dignissimum præstat vir probus. Mentem enim suam curat, illiq; ut honestatem conservet suam, libenter aliis opes, honores, vitam deniq; suam gratificatur. Quod certè est si rectè exputes, se ipsum plus aliis amare, h. e. ea sibi, quæ potentiora sunt, eligere. At improbi non menti sed appetitui obsecundantes, neglectâ virtute lucri tantùm sui, aut voluptatum honorisve sunt cupidi. Quæ quia vulgus præcipua hominis bona esse credit, hinc talibus nomen dedit

dedit Φιλάυτων, qui tamen odisse potius, quam amare se dicendi erant.

C. 9. Quæritur tertio: *An beatus opus habeat amicis?* Sunt qui negent. Sed hoc in errorem ferè ducit, quòd ignorant, in amicis præter commodum aut extrà se quæsitam, oblectationem spectari aliquid amplius posse. *Atqui* sic demùm beatè quis vivit, si vivere se, hoc est rectè agere sentiat. Sentiet autem in amico, qui est alter ipse: atq; adeò meliùs etiam in eo, tanquam in speculo, quam in se ipso virtutes contemplabitur suas. *Adbac* solitaria vita non est homini jucunda, nedum beato. *Quem* omninò juvabit similitudinem sui consuetudine magis magisq; excolere virtutem, [*infra c. 12.*]

*An beatus opus habeat amicis?*

C. 10. Hæc occasione quæritur quartò; *Multòsne sibi amicos vir probus adungere debeat?* [*conf. VIII. 6.*] Imo paucos, sicuti & utiles jucundæq; amicitia brevi numero feliciter clauduntur, cum in copioso grege & officia mutua & voluptatem valdè dilui necesse sit. *Quamquam* ne possit quidem vir bonus turbam conscribere amicorum, si maximè velit. Utiq; enim multos reperire, qui omnes inter se conglutinari queant, difficile sit. His verò omnibus se impertire, omnibus gaudii dolorisq; socium præbere, omnes sum-

*An vir bonus multos habeat amicos?*

mo

mo amore complecti longè difficillimum. De perfectâ loquor & exquisitâ amicitia, cujus exempla quæ hæctenus prodita sunt memoria, binorum sunt omnia non plurium. Nam civiliter conversando multis amicum se gerere, etiam sine assentatione, virum bonum nihil prohibet.

*In utrâ fortunâ major sit amicorū usus?*

C. II. Quæritur quintò : *In utrâ fortunâ major sit amicorum usus?* Sanè enim eos tam in prosperis rebus, quàm adve-  
sis quæ imus. Sed *in adversis* horum præsentia *utilior*, magisq; necessaria; *in prosperis honestior*. Adde, & *jucundior*. Nam in calamitate etsi præsentem habere & condolentem amicos, dolorem minuit, tamen hoc ipsum ingratum est nobis, quòd casus ita tulit, ut dolerent amici. Imò vir fortis pro virili cavet, ne suâ causâ angantur alii. Quem imitari, ut meliorem, potius decet, quàm muliebri ingenio præditos, qui studiosè quærunt lacrymas aliorum. Quapropter ad res tristes tardè, ad lætas celeriter advocabimus amicos. Ipsi contrà ad infelices amicos ultrò ac maturè accedemus, (id enim utrisq; honestius est ac jucundius:) ad res secundas, si adjumentum afferre queamus, promptè; sine beneficium nobis paretur, lento gradu, sic tamen, ut austeritatis suspicionem evitemus.

Fixum

Fixum interim hoc maneat, *praesentiam amici* absolutè gratam esse.

*Cur amici  
con-  
sistere  
dulce sit?*

C. 12. Sicuti & amatoribus nihil æquè volupe est, quàm mutuus conspectus. Porro in amicitia hoc [VIII. 5.] evenit, *tùm* quia illa quædam est societas: *tùm* quia, ut se ipsum, ita & amicum vivere ac sospitem esse libenter quisq; sentit: *tùm* denique, quia studia sua exercere, quod fit amicorum familiari consuetudine, [suprà c. 9.] jucundissimum est, idemq; proficuum simul, atq; honestum valdè, si sint virtutis studiosi. Nam pravorum convictus, strenuè v. g. perporantium, esto afferat ipsis aliquid voluptatis, certè summo cum dedecore, & majori subinde ipsorum corruptione conjunctus est. Tantum de Amicitia.

## LIBER DECIMUS.

*Iterum de Voluptate. Item de Beatitude speculativa.*

C. 1. Placet nunc regredi ad disputationem [suprà per capita 11. 12. 13. 14. libri VII. jam occupatam,] de Voluptate, de quâ veram sententiam exponi omninò Ethici interest.

*De Volu-  
ptate do-  
ctrinè  
veræ usua*

Non

Non enim probo eos, qui etiam si voluptas bona sit, conducere tamen ad mores arbitrantur, si ea pro re pessimâ infametur, quoniam aliàs ad eam proclivior sit homo, quàm studioso virtutis sit necesse. Hos inquam non probo. Vix enim quisquam philosophus huic effato congruenter vivet. Unde metuendum est, ne vitâ sensûq; ipso doctrinam hanc refellente, in cæteris quoq; vanitatis suspecti habeamur. Dabimus igitur operam veritati, & ubi aliorum priùs examinaverimus sententias, proponemus nostram.

*Opinio  
prima.*

C. 2. Eudoxus, eximie vir probitatis summum bonum aiebat esse voluptatem, tùm quòd omnis natura sensu prædita in voluptatem quæq; suam vehementer incumbat: tùm quòd oppositum voluptatis dolor omnium iudicio res sit per se fugienda: [VII. 13.] tùm deniq;, quia rei bonæ adjuncta voluptas optabiliorem eam efficiat. Sed hoc ultimum argumentum ita inflexit Plato ac figuravit, ut eo contraria sententia confirmaretur, nempe voluptatem summum bonum non esse. Si verum fateri volumus, neuter eâ ratione commodè usus est, cùm per illam aliud nihil conficiatur, quàm voluptatem esse aliquod bonum. Quod qui negarunt, adversus eorum exceptiones priora etiam duo Eudoxi argumenta

fatis

*Opinio  
secunda  
cum cen-  
surâ.*



fatis fortiter urgeri queunt. Nam quod ad *primum* attinet, non à solis brutis, sed hominibus etiam prudentibus res jucundæ per se experuntur: & affirmare auisim, illum in brutis instinctum à naturâ esse ipsis brutis meliore. [*adde VII. 13.*] Quod contra *secundum* proferunt, voluptatem de lori ut malum malo opponi posse, non vident eo pacto sequi, ut sit etiam voluptas fugienda, quod tamen communi sensui adversatur.

C. 3. Neq; multum roboris est in argumentis, quibus voluptatem conantur iidem è bonorum censu ejicere. Ut *primò*, quoniam ea non sit qualitas. Quid enim tum postea? Nec actio virtutis, imò ne beatitudo quidem ipsa qualitas est. *Secundò*, quia sit infinitum quiddam. Quamobrem obsecro? Nam intendi ac remitti potest. Atqui hoc etiam de virtute, ut justitiâ, fortitudine, etiam de sanitate verum est. *Tertiò*, quia sit motus vel generatio, atq; adeò imperfectum quiddam. Hic falsum est, voluptatem esse motum, non enim in eam, ut in motum, tarditas celeritasq; competit. [*adde c. seq.*] Falsum & eam esse generationem. At, inquam, expletio est. Imò verò, inquam, non expletio, sed expletionis comes. Quod ipsum ad voluptatem alimenti pertinens [*VII. 12.*] non debuit  
ab

*Opinio  
tertia cū  
censurā.*

*Prima o-  
pinionis  
censura.*

ab illis ad omnes promiscuè voluptates trahi. Sunt, qui, ut probent, *voluptatem esse malum*, turpes ac probrosas voluptates objiciunt. [*adde VII. 12.*] Adversum hos negare possumus, illas turpitudines in numero voluptatum habendas esse. [*c. 5.*] Nulla enim ratio nos cogit hīc sequi iudicium hominum depravatorum, sicuti neq; ægrotis de dulcedine, aut lippis de colore pronunciantibus creditur. Age tamen, sit ita. Cur non liceat voluptates malas à bonis distingvere, & paucarum crimen non in omnes conferre? Quid ergò tandem? Assentiemur ne Eudoxo ipsum bonum summum esse voluptatem dicenti? Equidem necessitate quadam naturæ evenit, ut honestis actionibus, quas summi boni titulo ornavimus, indivulsa adhæreat voluptas: veruntamen, etiam si fingas abesse voluptatem, certum est eas per se appetendas fore. Non ergò summum bonum voluptas, sed summi boni comes, [*VII. 11. & 13.*]

C. 4. Nunc ipsam ejus naturam paulò accuratiùs exponemus. Ut visio momento tota & perfectà est, sic voluptas. Itaq; rectè eam motum esse generationemve negavimus. [*c. præc.*] Omnis enim motus imperfectum, quid est, ac tempore indiget. Neq; generatio (uti quidem eà voce hīc utimur) rei indivisibilis

bilis est, ut puncti, ut visionis. Oritur autem voluptas, cum habitus bene affectus in objecto convenienti operatur. Perfectissima ergo, quam habitus bene affectus in re optimâ occupatus provocat. [c. 7.] Neq; enim aliud est voluptas, quam *operationis recte se habentis perfectio*, [conf. VII. 12.] non talis quidem, qualis ipse est habitus, sed *ex eâ sponte resultans*, sicuti florentem ætatem sua ultrò excipit venustas. Esse verò arctissimè inter se copulatas perfectæ operationis voluptatisque naturas, vel inde intelligas, quòd *nec voluptas eadem in nobis continuo tractu diuturna, neq; rei veteris tanta est, quanta novæ, nimirum quia nec in eadem actione diu sine tædio perseverare possumus, & rebus novis acriori conatu incumbere solemus.* Quin & ex hoc fundamento rationem explices, *cur ita simus omnes voluptatis cupidi, nempe quia vivere expetimus.* Vita autem functio est quædam.

*Voluptatis definitio.*

*Ejusdem divisio.*

C. 5. Jam cum actiones specie differant (quis enim neget, aliam e. g. sensûs, aliam mentis esse functionem?) necesse est, ipsas quoq; *voluptates specie distingvi.* Unamquamvis enim actionem sua voluptas perficit atq; adjuvat, impedit contrâ aliena, [VII. 12.] idq; modo propemodum simili, quo dolor.

E

Verbo

Verbo dicam: Voluptas & functio distincta sunt quidem, adeò tamen connexa, ut facile idem credi possint. [*Hinc explicanda definitio voluptatis VII. 12.*] Sunt ergò voluptatum genera diversa. Ac primò aliis animantibus alia sunt jucunda, ut asino aliud, quàm homini. Deinde in homine ipso aliud menti, aliud sensui. *Utrobique* autem voluptas aliam aliam vincit puritate, sicuti purior est oculorum, quàm tactus; & contemplandi [*c. 7.*] quàm agendi. Usurpatur & alia voluptatum distinctio in honestas, turpes, neutras. Sed turpes voluptatis nomine indignæ sunt, [*c. 3.*] eos enim solummodò delectant, quorum depravata est natura. Atqui non talium, sed bonorum virorum [*c. seq. & IX. 4.*] iudicium haberi pro mensurâ debet. Eam ergò veram demùm optimamq; voluptatem vocabimus, quæ viro probo talis videtur.

C. 6. Tempus est tandem, ut de summo felicitatis fastigio Lectorem nostrum commonefaciamus. Quod in contemplando positum est. Quæ enim in superioribus explicata sunt, ad civilem illam & practicam beatitudinem pertinent ferè. Quâ præstabiliorem esse speculativam hanc, id verò non est diutiùs dissimulandum. Sed libet à generali doctrinâ rem hanc repetere. Docuimus initio [*l. 5 & 7*]

De beatitudine  
in genere.

§ 7.] Beatitudinem non habitu sed *actione* definiendam esse. Nec dubium, quin actione tali, quæ *per se*, non propter aliud, expectatur. Talium rursus cum duo sint genera, *serium* & ludicrum: ineptum sit in rebus ludicris constituere vim felicitatis, & earum gratiâ credere, quicquid est in vita laboris, suscipiendum esse. Tametsi enim principum ac divitum ferè præjudiciis juvari possit hæc opinio: tamen viri probi [c. præc. § IX. 4.] sententia potior nobis esse debet. Quam secuti jam semel Beatitudinem in actione virtutis, re profectò seriâ, collocavimus. Et quis neget, seria jocis ac remissionibus præstare? cum ipsarum remissionum finem hunc esse deceat, ut refectis per eas viribus ad res serias alacriores redeamus. Taceo, quòd ludis vacare vilissima etiam possint mancipia, quæ tamen Beatitudinis incapacia pronunciamus.

C. 7. Porro, certum & hoc est, summam Felicitatem versari in actione virtutis *omnium præstantissima*. Eam virtutem nunc ajo *sapientiam* esse, rerum illam divinarum contemplatricem. [VI. 7.] Ut proinde beatissima vita statui debeat contemplativa. [VI. 13.] Quam in sententiam multæ occurrunt gravissimæ rationes. Est enim contemplatio opus primò partis in homine divinissimæ, men-

*De beatitudine contemplativa in specie.*

tis videlicet, ejusq; objecto nobilissimo occupa-  
 tata: [ c. 4. ] *secundò*, quod continuari quam  
 diutissimè possit, cum perparùm afferat fati-  
 gationis: *tertiò* voluptate perfusum omnium  
 liquidissimâ [ c. 5. ] maximèq; stabili: *quartò*  
 seipso magis contentum, quàm morales actio-  
 nes, ut quæ copiam aliquam rerum externa-  
 rum, [ c. seq ] societatem item civilem deside-  
 rant: *quintò*, cui soli propter se incumbere  
 justum sit, ubi contrà res agenda semper ad  
 usum aliquem vitæ humane diriguntur: *sextò*,  
 quod in summo otio atq; tranquillitate [ *conf.*  
*VII. 14.* ] peragi queat, secus ac vitæ activæ,  
 sive belli tempora, sive pacis spectentur, fun-  
 ctiones. Omnino *vita contemplativa divi-  
 num quid est*, & mortalitate nostrâ majus.  
 Nec ideò tamen à nobis, ut res aliena, quem-  
 admodùm dictitaverunt quidam, omittenda.  
 Quin potiùs eniti decet, ut, quoad fieri potest,  
 immortalitati nos transcribamus, quæ à natu-  
 rà nostra adeò non abhorret, ut potiùs secun-  
 dùm illam nostri partem, quâ sumus immor-  
 tales, maximè simus homines, [ *IX. 8.* ]

C. 8. Sit ergò *duplex hominis status*, *di-  
 vinus* unus, animæ à commercio corporis at-  
 que affectuum in se reductæ, Deoq; quantum  
 licet, immigrantis; *humanius* alter, ejusdem  
 corpori permissæ, atq; affectibus implexæ, ho-  
 mi-

minemq; cum similibus sui copulantis. Ad *divinum* pertinet haud dubiè vita *contemplativa*; ad *humanum activa*, siquidem virtutes morales, ut justitia, fortitudo (quibus prudentiam adjungamus licet,) homini cum homine intercedunt, quodamq; modo à corpore proficiscuntur, certè affectibus cohærent, majoremq; bonorum externorum [*c. præc.*] postulant apparatus. Jam & illud persuadeat nobis, summam felicitatis nostræ contemplando absolvi, quòd ipse Deus, quem certum est longè beatissimum esse, speculando se maximè beatum præstat: neq; gravior ulla causa est, cur brutis animantibus beatitudinem abjudicemus, nisi quia nulla in iis penitus vis est speculandi. Quam quia nobis benignitas Numinis indulset, hominem eum amicissimum Deo pronunciare fas erit, qui se illi rebus divinis rectè contemplandis quàm simillimum exhibuerit.

C. 9. Absolvimus practicæ Philosophiæ partem priorem, beateq; vivendi præcepta dedimus. Neq; dubium est, ingenia, liberalia quæ sunt, rectèq; à pueris instituta, duci illis placidè posse. Verùm ad *distortos* homines, quorum multò maxima est copia, parum scilicet valente doctrinâ, severitate armatis legibus opus erit, saltem ut metu poenarum admoniti

*Transitio  
ad libros  
Politicorum.*

faciant officium, & à vitiosis voluptatibus contrarii sensu doloris abstrahantur. Quamquam omninò præstat in tenerâ statim, ætate alveheri hominum animos, ut rectis rebus gaudere discant, pravis dolere. Virtutem enim, quam inchoatam à naturâ doctrina promovet, absolvit profectò consuetudo. Verùm ne puerilis educatiò quidem absq; *legibus* satis bellè procedet. In his namq; plus est imperii (est enim lex Oratio vim habens cogendi,) & invidiæ minus, quàm in patriâ potestate. Quare præ multis meritò populis aliis laudandi sunt Lacedæmonii, quòd puerorum institutionem publicis legibus fuerunt moderati. Non damno educationem privatam: in eâ enim & liberi ob cognationem libentiùs obsequuntur, & parentes in brevi numero singulos curatiùs observare possunt: moneo tantùm, eam, ut perfecta sit, ab universali lege proficisci debere. Jam cum legum sit, tanta necessitas, facile intelligitur, *ferendum legum scientiâ* non minus opus esse. Quam ut certum est Politicæ prudentiæ partem haberi, ita perdifficilem esse hinc æstimes, quòd eorum hætenus nemo, qui Respublicas quantumvis laudabiliter administraverunt, neque commentatiòs de eâ scribere ausus est, neq; suis eam instillare potuit. Nam quòd Sophi-

phi-



phistæ facilem sibi ejus professionem esse ja-  
ctitant, ipsi profectò & vim ejus ignorare se  
ostendunt, dum eam vel cum Rhetoricâ con-  
fundunt, vel infrâ Rhetoricam etiam abjici-  
unt: & ejus doctores sunt oppidò inepti, e-  
gregiè se hoc nomen sustinere rati, si modò  
multarum legum fecerint collectionem. Atquî  
aliud est colligere, aliud eligere prudenter, &  
dextrè applicare. Quorû alterû cum sit judicii,  
alterum experientiæ, neutrum ipsi attulerunt.  
Operæ ergò precium facturi nos sumus, si de  
ferendis legibus, universâq; adeò Reip. ratio-  
ne accuratè commentemur. Quo pacto fu-  
turum est, ut Philosophiam Practicam  
integram habeamus.





# ORATIO

## PRO ARISTOTELE,

*Quòd jure suo usus fuerit, negans,  
idoneum Ethicæ Auditorem esse  
juvenem.*

Habita quondam sub Exordium  
Ethicæ Professionis.

**Q**uod felix & salutare, Ma-  
trig; Academiæ opportunum esse o-  
mnipotens DEUS jubeat, auctoritate  
& jussu Serenissimi Principis JO-  
HANNIS GEORGII Saxonie Electoris,  
Domini nostri Clementissimi, Moralis Philoso-  
phia Professionem Publicam propediem ingre-  
diar. Arduum profectò munus, eoque difficilius, quo  
mores se corrigi agrius patiuntur, quàm formari  
ingenium. Accedit altera ratio, quòd eâ jam vi-  
vitur tempestate, in quâ qui Aristotelicæ Phi-  
losophiæ quamcumq; partem enarrandam suscepe-  
lit,

rit, ei non tantum cum inscitiâ juventutis, sed  
 & cum accusationibus eruditissimorum homi-  
 num, quibus Aristotelis nostri in omni genere,  
 doctrinarum quæsitâ gloria subruitur, decere  
 tandum esse videatur. Quâ in re.

### Prorector Magnifice, ETC.

admirari hoc licet imprimis, uti rerum in  
 mundo omnium, ita opinionum quoque, & secta-  
 rum fatales esse quasdam vices & conversiones.  
 Non jam liber Peripatetica Philosophiæ fortu-  
 nam per omnes ejus ætates scrupulosè excutere,  
 sed tamen eam à primis incunabulis maximè va-  
 riam (a) experta esse, si animum advertamus,  
 deprehenditur, jam à discipulis Aristotelis ho-  
 rumque successoribus, tanquam à pædagogis non  
 sine libertate dissentendi castigata: mox An-  
 dronici Rhodij paraphrasibus quasi ultrâ termi-  
 nos infantiæ promota: hinc ab Alexandro A-  
 phrodiseo ad spem aliquam usurpandi in cete-  
 ras philosophantium sectas imperij animata:  
 nisi Platonici nominis, præsertim apud Christia-  
 nos, amor & veneratio persuasissent, ut cum  
 Platonica scholâ inducias ac tantum non fœ-  
 dus pacisci maluerit: dehinc inter consilia  
 excutiendæ societatis irruptionibus barbaro-  
 rum oppressa diuturnoque silentio damnata: quin  
 & in Arabum potestatem redacta, in Hispani-

a) vid.  
 Patric.  
 Tom. 1.  
 Discuss.  
 Peripat.  
 lib. 12.

amq; evecta: donec ab Averroë liberaliter ma-  
 numissa, atq; magnis impleta spiritibus, in Acade-  
 mias Europæ, non diu natas iis temporibus, im-  
 migravit, & ab omni partium studio vacuas  
 vel ipsâ novitate occupavit. Quâ felicitate  
 dum impotentius utitur non tantum in servi-  
 tutem ingeniorum, quibus ab Aristotele disce-  
 dere summum nefas erat, sed in sacra quoque  
 Theologiæ contumeliam, cui se petulanti auda-  
 ciâ consortem dignitatis oggeribat: factum est,  
 ut, quo tempore altissimè evecta esset, prope  
 subsederit in ruinam. Posteaquam enim è tem-  
 plis eam sacrisq; cathedris precipitavit Luthe-  
 rus, Philosophi quoq;, Theologorum exemplo  
 commoniti, memores antiquæ libertatis, aliis  
 in locis planè pepulerunt, alibi potestatem ejus  
 certis legibus circumscribentes minus ipsi domi-  
 nationis reliquere. Enim verò, Auditores, ne-  
 gari non potest, superioribus seculis philosophiæ  
 Aristotelicæ amore majorem ingenuis mentibus  
 vim illatam fuisse, quàm cujus pudere posteri-  
 tatem non possit. Quis enim ferat illam ver-  
 borum insolentiam: nullum errorem in Ari-  
 stotele inventum esse: nihil in eo mancum, nihil  
 superfluum: esse eum regulam & exemplar, quod  
 natura invenerit ad demonstrandam ultimam  
 perfectionem humanam: ipsius intellectum  
 finem fuisse humani intellectus: omnia denique  
 ejus

ejus verba pro divinis oraculis amplectenda? Quem tamen non errare modò, ut hominem, potuisse, credibile esset, sed errasse quoque in multis, divina veritatis ignoratione, constaret liquido. Atque Averroi talia excidisse, insulsissima aliàs religionis mancipio, minus erat fortasse mirandum: eos autem, qui Christianam religionem profiterentur, carmen tam horribile, quod Saracenicus magister prævisset, picarum instar repetere voluisse, qui non habeat pro portento? nisi, quòd jam assuetis parere absurdissima libidini Romani Pontificis minus hæc servitus pœnitenda videri potuit, quam ab acerrimi judicij philosopho acciperent. Itaque Averroem elogiis suis superantes eò tandem pervenerunt, ut impiã satis voce Aristotelem publicè jaçtarent sic fuisse Christi præcursorem b) in naturalibus, quemadmodum in gratuitis Johannem Baptistam: imò, si contingeret, Evangelica scripta amitti, posse c) ea reparari ex Ethicis Aristotelis libris. Hæc cum tolerari diutius à sanis hominibus non possent, invidia, quam Aristotelico nomini maleferiati homines fecerant, in ejus doctrinam exonerari cœpit: utquæ humanum ingenium nimia omnia vitare nescit, indignitate rei quidam adeò sunt abrepti, ut ea quoque, quæ rectè essent à philosopho posita, cavillis impetorent, nullumquæ facerent

b) teste  
 Henr.  
 Corn. A-  
 gri pp. c.  
 54. de va  
 nit. sciēt.  
 c) vid.  
 Camer.  
 p. 119. ad  
 libell.  
 Plutarc.  
 de virt.  
 moral.

EXA-

exagrandi Aristotelis finem, prorsus ac si omni-  
 um fuisset ineptissimus. Cujus tamen philoso-  
 phandi ratio & acrimoniâ judicij, & in causis  
 reddendis sollicitudine, & ordinis concinnitate  
 meritò à nobis suprâ ceteras sectas elevatur.  
 Sed hic est seculi morbus, ut jam multi erudi-  
 tionem in eo ponant, si quis Aristotelem possit  
 de ponte, tanquam sexagenarium, dejicere.  
 Ego verò, Auditores honoratissimi, id mihi in  
 Ethicâ professione credo negotij datum esse, ut  
 moralem doctrinam, quam inter veteres  
 optimè digessit Aristoteles, ex ejus Nicomacheis  
 exponam, ita tamen, ut (quæ philosophandi  
 peripateticè antiquissima pariter & probatissi-  
 ma ratio est) si veriora interdum proferri ab  
 illustratis majori lumine poterunt, (uti pote-  
 runt certè,) salvâ viri auctoritate ab ejus abire  
 sententiâ liceat: quæ verò commodè, cumq;  
 veritate congruenter (uti pleraq;) ab eo prola-  
 ta sunt, his grato animo fruam, ac ne in iis qui-  
 dem, in quibus ab eo secessio sit facienda, acer-  
 bitati verborum indulgeam, multò minus, quæ-  
 cunq; sive à moribus nostris, sive à temporibus  
 discrepent, statim in occasionem maledicendi, id  
 quod obrectatoribus ejus solenne est, conver-  
 tam. Hujus animi mei testificationem ut ede-  
 rem, argumentum orationi meæ, quam ad Vos,  
 Auditores Optimi, habendam mihi intelligebam,  
 illud

illud elegi, quod cum non esset alienum ab Ethicâ disciplinâ, ac potius inter ipsa ejus initia agitari solet, simul tamen objiceret mihi copiam defendendi Philosophi à præcipitis quorundam judicij severitate. Quum enim testatum reliquisset, juvenem Ethices non esse satis idoneum auditorem; qui neq; intelligerent, quibus temporibus hoc esset prolatum, neq; quas cautiones huic sententia circumduxisset, animadvertere vellent, malignius dictum interpretantes, tanquam istâ florentis ætatis exclusione ver ex anno tollere voluisset, Aristotelem criminati sunt. Adversum hos planum faciam, Philosophum ita edicendi causas privatim habuisse longè gravissimas justissimasq;. Quod ubi expositâ illius ævi ratione evicero, comparatione nostri seculi brevissimè declarabo, cur eadem ratio apud nos non valeat, neq; valere adeò debeat. *AVobis, Prorektor Magnifice, ETC.* summoperè contendo, ut me, quemadmodum cæpistis, benevolentia vestrâ ad exitum usq; Orationis prosequamini.

Primum igitur illud erit, ut Aristotelis sententiam breviter ac nudè proponamus. Is capite tertio libri primi Nicomacheorum, cum conditionem Ethicæ disciplinæ non adeò accuratas demonstrationes admittere docuisset, sed contentos esse nos oportere desumptis ex quotidianâ vi-

tā probabilibus argumentis: mox infert, juvenem doctrina de moribus omnium circumscriptam esse non poss, eò quòd sit rudis atq; ignarus eorum, quæ in vita geruntur: accedere & alteram causam, quòd adolescentia sequi soleat impetûs stultarum cupiditatum: unde consecuturum haud dubiè, ut inutilis ipsi futura sit institutio, cum non sufficiat intelligere, quæ agenda sint, nisi, quæ intellexeris, tradas effectui. Nihil autem interesse inter juvenem, qualem jam descripserit, & eum, qui annos adolescentiæ egressus nondum desierit peccare juveniliter. Neg; enim ex annorum paucitate, sed ex discipline laxatione estimatum hoc in loco se juvenem velle. Hæc ab eo breviter exposita cum longa seculorum successio sive præterisset, tanquam in transitu dicta, sive, ut prolata à summo philosopho, approbasset etiam iudicio suo: superior demùm ætas, quæ nullam increpandi Aristotelis occasionem prætermisit, cum ludibrio protraxit in scenam, damnavitq; d) absurditatis. Neg; enim æquum dicebant, arceri ab institutione morum eam ætatem, quæ invitanda potius atq; adducenda in tempore videretur. Itaq; sic disputabant, ut primò negarent, verum esse, juvenes omnes omni usurarum destitui, servosq; esse cupiditatum suarum. Reperiri enim sanè aliquos, præsertim qui à primâ

d) vide  
 in primis  
 Audom.  
 Talæum  
 prælect.  
 in 1. Ni-  
 com. 3.



mâ statim pueritiâ fideliter instituti, honestis-  
que actionibus spectatores adhiberi fuerint, qui  
sibi in istâ etate & aliquam de moribus judi-  
candi facultatem comparaverint, & affectibus  
imperare didicerint, rectius sapè quàm multi  
senes, quibus nequitia, quia non statim in tene-  
ris eam correxerint, cum ipsis succrevisset. De-  
inde etiam si tales essent juvenes, quales ab Ari-  
stotele depinguntur, imperiti rerum, pleni pra-  
varum propensionum: adeò tamen à præcepti-  
onibus philosophiæ moralis abigendos non esse,  
ut vel ob hanc causam admovendi sint magis.  
Quæ enim, (inquiunt) malevolentia est, et atem  
istam, quia nondum profeceris in curriculo vir-  
tutis, proficere etiam in posterum nolle? Aut  
quibus profuturam esse morum disciplinam pu-  
tabimus, si, qui maximè eâ indigent, minimè  
uti permittentur? Nonne antiqui legum la-  
tores, qui primi fuerunt magistri morum, do-  
ctoresq; vitæ, malis civibus istâ ratione con-  
sultum voluerunt, ut laude & præmio ad offi-  
cium flecterentur, ignominiâ & suppliciis revo-  
carentur ab improbitate? Cur igitur adolescen-  
tes, quia mali sunt, leges accipere vivendi ab  
Ethicæ doctore non patiemur? Quid? Annon  
animorum quandam esse medicinam philoso-  
phiâ in omnibus scholis predicatur? Quis  
autem ferat medicum, qui januâ & domo suâ  
agro-

egrotis interdiceret? At desperatis adhibere  
 medicinam Hippocrates vetuit. Nobis verò de  
 emendatione hominis non ita facile est despe-  
 rare, quàm de morbi curatione medicis. Sunt  
 enim illis egrotantium duo genera, quorum  
 alij, si velint, cum bonâ valetudine reduci in-  
 gratiam possunt; alij, ut maximè velint, non  
 possunt. Illorum, utpote sanabilium, curatio-  
 nem suscipiunt, hos pro conclamatis relinquunt,  
 ne subeat speciem occisi, quæ sua fors pereme-  
 rit. At nos, quantumcunq; perditis moribus  
 vivat adolescens, deploratum tamen vix aude-  
 bimus pronunciare, tantum convalescendi ad-  
 ferat voluntatem. Rectè enim dixit Horatius: e)

e) lib. I.

Epist. I.

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,  
 Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit,  
 Si modò cultura patientem commodet au-  
 rem.

Polemone Atheniensi quis fuit dissolutior juve-  
 nis? In lustris, in popinis, in convivis, in omni-  
 bus deniq; locis ita gestu, incessu, sermone, petu-  
 lantiam profitebatur, ut desperatus omninò ha-  
 beretur, quippe qui non illecebris tantum vi-  
 tiorum, sed ipsâ quoque infamiâ gauderet.  
 Hunc tamen una Xenocratis philosophi oratio,  
 in quam vino gravis, unguento delibutus, sertis  
 capite redimito, non discendi animo, sed ut bo-  
 nestissima præcepta temulentie lasciviis detur-  
 paret.

paret, irruerat, ita derepente immutavit, ut  
 ex infami ganeone maximus evaserit philoso-  
 phus. Nimirum obtriverat ille quidem belu-  
 ando inditum sibi sensum honestatis, sed evelle-  
 re tamen radicibus non potuit, quin resumptis  
 è gravissimi senis increpatione viribus in melio-  
 rem frugem traduceret volentem. Remanent  
 enim in perditissimis quoque illi conscientie stimu-  
 li, legisque hominibus insculpta dictamina, quibus  
 quicumque obtemperare decreverit, de ejus salute  
 nequaquam despondendus animus videatur.  
 Non igitur de moribus judicare non poterit a-  
 dolescens, neque, si experientiam caret, ratione  
 quoque destitui putandus est, quam discernere ab  
 honestis turpia valeat. Sed fac, aestimare il-  
 lum mores non posse. Nec egrotus de morbo suo  
 judicat. Accedet nihilominus, ut ille ad medi-  
 cum, ita hic ad philosophum. Age verò, potest-  
 ne virilis aetas aptior esse ad accipienda virtutis  
 semina, quae cupiditatibus suis per omnem vitae  
 cursum permixta, peccandi consuetudine non ad  
 spem emendationis, sed ad consummationem flagi-  
 tiorum maturuit? quam adolescentia, quae incli-  
 nata quidem est ipsa ad pravitatem, flecti tamen, ut  
 arbor tenera, adhuc in contrariam partem, et mo-  
 nitibus salutaribus reduci facilius potest à tramo  
 vitiorum, in quo non adeo longas progressiones fe-  
 cerit? Equis, dum teneri sunt nihil est ferocius. Ad  
 equestre disciplina ab hac ipsorum aetate incho-

are jubet flectenda cervicis imperia. Et nos juvenis petulantia sua deterrebit, ne in gyrum recte rationis illam cogere velimus? Prater ea si philosophia moralis una & eadem est tam singulorum hominum, quam universorum, sive in familia, sive in civitate, aut quocumque vivant consortio, ut ipse in Politicis docet Aristoteles: sique morales ac civiles leges promiscue hominum in civitate degentium genti a legislatore communiter traduntur: annon ridiculum est querere, qui sint in civitate legum idonei auditores, quasi non una sit communis omnium & bonorum & malorum doctrina, non una schola, non unus magister? Jam & hoc reputemus, cui is ipse, qui juvenes a morali Peripato exclusos, voluit, sua moralia inscripserit? Nonne filio Nicomacho? Qui si juvenis adhuc, patre jam mortuo, interit, ut de eo Eusebius scriptum reliquit, vir profecto, cum hos a patre libros acciperet, esse non potuit. Videturque ejus exemplum imitari Cicero voluisse, cum Marco filio suos de officiis commentarios Athenas mitteret, non multum ultra vigesimum aetatis annum progresso, quem tamen in legendis tum graecorum, tum paternis scriptis uti vult iudicio suo. Quod si verum est, quod Ammonius f) prodidit, ut septimodecimo aetatis anno ad Socratem itare coeperit Aristoteles:

f) in vit.  
Aristot.

les: quod argumentum validius in Aristotelem torqueri poterit, quàm proprium ipsius exemplum? Constat enim, Socratem nudam nisi hanc Philosophia partem docuisse. Hæc, Auditores Humanissimi, speciosis verbis adversus principem Philosophorum perorari solent, quibus id deniq; efficiatur, ut inconsideratè eum fecisse credamus, qui non intelligens, quantum sit à teneris adsuescere, ab eâ etate omni, quæ ad virilem usq; porrigitur, institutionem ad mores honestos removerit. Gravis profectò, si vera sit, accusatio. Quis enim non indignetur, tantum philosophum, qui tam oculatus fuerit in obscurissimis disputationibus, ea ignorasse, quæ populorum omnium consensu vera semper, ipsâ naturâ monitrice, judicata sunt: honestatis præcepta nulli etati feliciter, quàm illi flexibili, nondumq; indurata applicari? Quod si hæc sciens, dissimulavit tamen, majori etiam odio dignus sit, qui isthâc sententiâ communem Rerump. salutem, cujus bona pars dubio procul in rectâ juvenum educatione posita est, prodiderit, pestilentissimi autem consilij. Sed longè abest ab Aristotele nostro hæc reprehensio. Quem in veteratam formandæ ad virtutem adolescentiæ rationem impugnare nequaquam voluisse, si nihil aliud, vel hoc abundè ostendat, quòd vix tribus versibus hæc disse-

ruit, nec tetigit aliter, quàm in transcurso:  
 Qui aliàs, quoties in minorum etiam philo-  
 sophorum dogmata, quantumvis in iis non sita  
 esset salus Græciæ, incurrit, Deum immortalem,  
 quàm confertam argumentorum aciem educit!  
 quibus viribus præliatur! quibus armis consli-  
 git! quas admovet machinas! Neq; in physicis  
 solum disceptationibus tam strenuè pugnat, sed  
 in iis etiam, quæ ad practicam philosophiæ par-  
 tem referuntur. Taceo, quàm copiosè Plato-  
 nicam & possessionum & mulierum publicatio-  
 nem refutaverit. Phaleas quidam Chalcedo-  
 nius statuerat, optimum esse in Rep. si civium  
 omnium facultates æquarentur: id enim ipsi  
 per commodum fuerat visum ad cavendas sedi-  
 tiones, quæ ut plurimum fortunarum causâ o-  
 rirentur. Id etsi ab homine, ut apparet, ob-  
 scuro nulliusq; nominis erat prolatum, neq; ab  
 ullâ Rerump. receptum, & multis de causis ab-  
 surdissimum: peculiari tamen capite g) eoq;  
 satis prolixo destruendum sibi putavit Aristo-  
 teles, jam illud objiciens, non facultatum mo-  
 dò, sed liberorum quoq; procreandorum æqua-  
 litatem sancendam fuisse, quippe sine quâ mul-  
 torum civium egestatem, ob alendam familiæ co-  
 piam, sequi esset necesse: jam reprebensens,  
 quod de bonis ad modum reducendis magis,  
 quàm de cupiditatibus civium frenandis labo-

raveo

g) II. Po-  
lit. 7. al. 5

raverit Phaleas: quodq; agrorum tantum possessiones avari voluerit, de ceteris bonis, puta pecudibus, servis, numis, supellectile nimium securus: deniq; nec illud omittens, quod in ista facultatum mediocritate civibus, si hostis externus ingrueret, ad belli sumptus tolerandos non satis esse praesidij videretur. Ergo qui unius homuncionis constituenda Reip. frigidum consilium tam operose repudiat, si tot etatum inobitas validissimisq; communitas rationibus de fingenda juventute leges evertere voluisset, non paratiorem in hoc praelium credemus fuisse descensurum? Quid multis opus est? Annon initio statim libri secundi Ethicorum, cum ostendisset, virtutem nobis non insitam esse a natura, sed doctrina atq; assuefactione parari oportere, gravissima sententia eam disputationem obsignavit: h) non parum referre, sed caput esse rei, hoc aut illo modo hominem ab ineunte etate assuefieri? Sensit igitur, mature inclinandum esse hominem ad studium honestatis, neq; hanc rem in etatem proveciorem differendam. Quae cum ita sint, inquirendum jam nobis est, quid ipsi venerit in mentem, ut, cum tanti interesse crediderit, a teneris praclare institui, juvenes tamen idoneos esse Ethicae auditores pronunciaret. Qui enim haec duo inter se componentes non advertunt

h) II. Nicom. I. in fine capitis.

animum, quibus temporibus vixerit Aristoteles, qualemvé scholam Ethicam aperuerit, (quod audacter dicam nullum eorum fecisse, qui ipsum hoc in loco vituperant,) fieri non potest, quin aut inconstantia eum, aut erroris infimulent gravissimi. Liceat hinc mihi, Optimi Auditores, cum istis obrectatoribus agere paulisper, iisq; revocare in mentem, quoniam hoc ignorare se ostendunt, quæ fuerit illorum temporum, institutionisq; Aristotelicæ conditio. Agite igitur, reprehensores Aristotelis, ac mihi primum hoc respondete! Putatisne eum juvenes sine discrimine omnes ab officiorum disciplinâ submovisse, nullam aliam ob culpam, quàm quia juvenes sint? Perfriate frontem quantum libet, nunquam tamen probabitis, cum hac ætate tam duriter eum egisse. Manifestè enim negat in ætate esse vitium, sed in iis, quæ ut plurimum hanc ætatem comitantur, duobus nævis, imbecillitate judicij, & affectuum intemperie: adeoq; si quis etiam è senioribus ab illis adolescentie vitiis nondum se extricaverit, eundem pariter pro juvene exclusum se velle. Quid hinc putatis consequi? nisi ut è contrario, si quis juvenis ad laudes maturiori ætati proprias surrexerit, eum ipso quoq; Aristotele iudice dignissimum statuamus Ethici præceptoris expolitione. Talem nimirum & ipsum fuisse  
 eâ



eâ etate, & filium habuisse Nicomachum facile vobis assentiamur. Quamquam, quod ex Ammonio affertis, Socratem ab Aristotele auditum esse, id baud dubiè ratio temporum non permit-  
 tit, i) cùm à morte Socratis sextodecimo de-  
 mùm anno natus sit noster philosophus. Depulsa  
 jam est magna pars invidiæ, dum ostendi solos  
 eos adolescentum exclusos, quos stupor juvenilis  
 & morum petulantia infecisset. Vos verò ne  
 hoc quidem tolerandum esse clamatis, negatisq;  
 fas Aristoteli fuisse, sic egrotantibus medicum  
 prohibere. Hic mihi ad ipsa Aristotelis verba  
 ducendi estis paulò propiùs. Ubi enim, qua-  
 so, juvenili etati aditum præcluserit, monita vitæ  
 honeste audiendi? Ubi dicit: τῆς πολιτικῆς  
 οὐκ ἔστιν οἰκείον ἀκροατῆς εἶναι. O homi-  
 nes præclaros! qui non intelligant, non vetuis-  
 se philosophum, quò minùs erudiantur ad vir-  
 tutem juvenes ab iis, quibus hoc sive à moder-  
 atoribus Reip. sive à parentibus datum est nego-  
 tium, sed tantùm sibi, privato homini, & qui-  
 dem inter Acroamaticos moralis philosophia  
 discipulos, (id enim ἀκροατῆς vocabulum in-  
 nuit,) quibus non libellum aliquem moralibus  
 Catonis distichis similem prælegerat, sed perfe-  
 ctam virtutis possessionem ingeneraret, noluisse  
 habere rudes etate, & ab affectibus abductos  
 in servitutem juvenes. Hocine tam insanis

i) Nuns  
 nef. ad  
 vit. Ari-  
 stotelis  
 ab Am-  
 mon scri  
 ptâ p. 65.

k) vid.  
Conring  
p. 9. An-  
tiq. Aca.

Vociferationibus explodendum putavistis? Hicne campus est, in quo depectendi Aristotelis usurpari tanta debuit licentia? Nihil à legibus formanda juventutis decerpit: nihil prescripsit aetati, secutura: ac de nostrâ ne cogitavit quidem: usus est tantum eâ libertate, quâ tunc doctores universi gaudebant, k) ut quos vellet adsciscerent discipulos, quos non vellet, repellerent sine injuriâ. Hos Platoni licuit, quem omnibus ἀπερωσε γήτοισι σχολὰν suam clausisse nemo ignorat. Licuit hoc idem Xenocrati, qui admitti petentem inter discipulos, quoniam rudis esset mathematicarum disciplinarum, abire jussit quasi qui non haberet ansas philosophiæ. Antistheni licuit, qui etiam baculum Diogeni intentavit, nisi facesseret. At qui hos nemo vestrum reprebendit. Unus Aristoteles, quem veluti scopum quendam invectionibus vestris prefixistis, cum eodem jure submovendi, quos non satis commodos sibi auditores arbitraretur, usus sit, conviciis oneratur, quasi voluerit juventutem planè moribus suis relinqui, omni alienâ informatione destitutam. Quid autem dicetis, si proba vero, eundem ipsum, quem vos adeò reprebenditis, Aristotelem juvenibus multis, iisq; sine delectu, non Rhetoricæ solum, sed civilia quoque præcepta (Peripato quidem vespertino) dedisse? Hoc enim si verum sit,

sit, annon ita cogitare debeatis, Philosophum  
 istâ sententiâ peculiarem aliquam scholam  
 comprehensisse, è quâ adolescentes exesse vo-  
 luerit? Quæ verò dixi, auctoritate nituntur  
 gravissimi scriptoris A. Gellij 1), hoc tamen  
 peccantis, quòd acroamaticas commentationes  
 non docendi limatiore modo, sed ipsarum ar-  
 gumento doctrinarum ab Exotericis distinxerit,  
 hoc videlicet pacto Ethica atq; Politica præce-  
 pta à matutino Peripato planè relegans: cum  
 tamen Nicomachei libri neq; ordinis pulcritu-  
 dine, neq; argumentorum copiâ, neq; subtilita-  
 te asserendi (quoad quidem eorum ratio permit-  
 tit) a Logicis aut Phisicis commentariis, quos  
 nemo dubitat acroamaticos esse, relinqvantur.  
 Satis opinor, Auctores, ostendi, quod Philoso-  
 phus noster negat, idoneum esse ad auditiones  
 politicas juvenem, id nequæquam aliò pertine-  
 re, quàm ut intelligeremus, consilium ipsi non  
 fuisse, inter Ethica discipulos secretioris admis-  
 sionis locum permittere juvenibus. Illud qui-  
 dem certè constat accuratum discipulorum de-  
 lectum ab eo habitum fuisse. Et quæ pomeridia-  
 nis horis differeret in Lyceo populariter Et pin-  
 gviorè, ut ajunt, Minervâ, ab iis neminem fa-  
 cile audire cupientem rejecisse: à matutinis au-  
 tem subtilitatibus, tanquam à sacris mysteriis  
 profanam multitudinem arcuisse, neq; illarum

1) lib XX  
 noct. att.  
 c. 4.

acroasium participem fecisse quoniam, cuius  
 non antè ingenium atq; aptitudinem singula-  
 rem explorasset. Quam partiende scholera-  
 tionem non ipse primus usurpavit. Nam &  
 jam olim Pythagoram (no vetustiora scrute-  
 mur) ad similem modum duos discipulorum or-  
 dines habuisse, notum est è Clemente Alexan-  
 drino m). Nunc ineunda nobis est ratio, cur  
 Aristoteles etatem juvenilem repulerit à Pra-  
 ctica philosophia Acroamaticis, quam à Theo-  
 reticâ parte nusquam legitur ineptitudinis cau-  
 satione prohibuisse. Neq; enim temerè, aut in-  
 vidiâ quâdam abreptus hoc egit, sed quòd ita  
 scholastico suo instituto quam maximè congruū  
 videretur. Id ut pateat, paulò rem alcius  
 repetemus. Decretum illi fuit procul dubio,  
 neminem in selectis habere auditoribus, nisi  
 quem certâ presumptione consideret ad sum-  
 mum sapientie fastigium educi posse. Vole-  
 bat enim hanc auferre à posteris gloriam, ut ex  
 ejus scholâ non nisi absolutissimi philosophi pro-  
 dusse dicerentur. Quin & ex hoc ipso grege  
 successorem sibi, quod tùm magistris solenne  
 erat, eligere meditabatur. Itaq; ad ceteras  
 humana sapientie partes perspicaciam ingenij  
 potestatemq; judicandi; ad moralem hoc am-  
 plius etiam sedatos affectûs à discipulo require-  
 bat. Id nî faceret, facile praevidebat fore, ut  
 aut

m) lib.  
 V. Stro.

aut destitutus iudicio opinari tantum disceret  
 auditor, non statuere firmiter, aut moribus iam  
 depravatus præter acutè disputandi de virtuti-  
 bus facultatem nihil assequeretur, ceterum,  
 quod turpissimum esset, suam ipsius doctrinam  
 scævis moribus refelleret, non Ethicam tantum  
 professionem, sed & ipsius Magistri dedecorans  
 auctoritatem. Pessimè enim præceptis morali-  
 bus operam is dedit, qui, quæ recta esse intelligit,  
 non facit eadem atq; exequitur strenuè, cum  
 non contemplandi, sed maximè agendi causa  
 Ethicus adiri doctor debeat. Quapropter cum  
 juvenili ætati neq; rerum adsit experientia, un-  
 de iudicium de actionibus gigni oporteret, &  
 affectuum adherere soleat intemperies, quo-  
 rum corrigendorum in lubrico admodum spes  
 esset, maluit nempe Aristoteles certo proposito  
 ab illis se liberare, quibus explorandis ætas ob-  
 sisteret, quam subire periculum in discipulo in-  
 certum an non degeneraturo. Est enim profe-  
 ctò, Auditores, maximum discrimen inter prin-  
 cipia illa, quæ ad Practicam Philosophiam ad-  
 ferre oportet. & altera, quæ ad Theoreticam.  
 Consignata sunt in animis nostris utriusq; gene-  
 ris notitia: sed alteris assentiri promptissimum  
 nobis est: in alteris assensum ille humana stir-  
 pis capitalis morbus flagitiosè langvescit.  
 Quem morbum etsi parùm habuit exploratum  
 Ari-

Aristoteles, experientia tamen fultus satis perspexit, quanto facilius intellectum nostrum raperent artificum illa & geometrarum praeceptiones, quam haec de discrimine honestorum & turpium principia, quibus universa moralis doctrinae ratio gubernatur. Itaque initio capituli, quod habemus in manibus, fatetur tantis errorum ac dubitationum fluctibus ea concuti, ut multis lege tantum arbitraria & opinione hominum, non ipsa natura, constituta videantur. Et libri sexti capite quinto docet, intemperantiam obrui & corrumpi non quidem contemplabilium rerum notitias, ut quod trigonum tres angulos habeat duobus rectis aequales, sed illas certe, quae sunt rerum practicarum. Similes ejus locos plures coacervare parco. Videbat autem hinc fieri, ut ad perfectae virtutis possessionem vix posset citius aspirari, quam juvenili cupidoatum, processu annorum, & prudentiae acquisitione, excusso imperio: cum alias mathematicarum rerum cognitione sic satis accurata etiam puer imbui possit. Quapropter & in virtutis definitione vitae perfectae mentionem sibi faciendam putavit. Fuit igitur in Aristotele singularis argumentum prudentiae, quod in Ethico auditore statuit expectare terminos a natura definitos, neque cum penitentiae periculo spes suas temere precipitare.

Tana

Tàm anceps deliberatio in Theoreticâ philolophiâ non erat, ad quam modò videret à discipulo adferri aciem quandam non vulgaris ingenij, & in discendo ardorem (qualis estimari non in juvene dicam, sed jam in puero possunt,) nullus erat locus dubitationi, quin hoc magistro ad excellentiam profici in hoc genere possët. Itaq; non opus fuit, ut etatem hîc exciperet. At in moribus castigandis, quantò pleniora omnia suspicionum in istâ præsertim etate inexplicabilis humani ingenij fecit dolositas, tantò justior rem habere se causam trepitandi agnovit. Ac repetebat quoq; memoriâ, quid paulò ante sua tempora Socrati contigisse à parentibus inaudierat. Hic cùm primus Philosophiam ad corrigendos componendosq; mores flexisset, Scholamq; Ethicam perquam liberaliter aperuisset juvenibus, multos e quidem tales reddiderat, quales ab hoc præceptore orbis exspectabat. Veruntamen, ut sit, in tanto discipulorum cumulo, à quo nemo facile spernere tur, fuerunt quoq;, quos vomicas suas & carcinomata non injuriâ dixisset. Atq; inter hos præcipui Critias & Alcibiades, n) uterq; pestis Reipublicæ Atheniensium, ille quidem, cùm ad paucos pervenisset civitatis status, hic, dum adhuc populus dominaretur. Etsi autem hæc in re nulla fuit Socratis culpa, qui

jam

n) vide  
Xenoph.  
lib. I. de  
fact. &  
dict. Socr.

jam depravatos cupiditatibus, neque, ut meliores fierent, sed ut dicendi facultatem sibi compararent, scholam suam, idq; non admodum diu frequentantes, corrigere frustra laboravit: tamen carissimè banc noxam expiare coactus est, cum inter duas causas iniquissima damnationis ad mortem, altera jaclaretur, quòd juventutem Socrates corrupisset. Quis jam vitio vertat Aristoteli nostro, si alieno exemplo condocefactus, in eà urbe, ubi ficus super ficum consenesceret, Ethicam professionem cautius aliquantò administrare cogitavit, evitandàq; criminatione, quæ Socratem pessunderat, providit, ne (quod aliquando respondisse eum annotatum est o), ) bis in Philosophiam ab Atheniensibus peccaretur? Videbat, hoc à Socrate, animo quidem publici boni studiosissimo, sed non equè prudenter factum fuisse, quòd discipulorum hujus generis nullum habuisset delictum: quo instituto, si non ab omnibus, qui postea degenerarunt, à Critià tamen certè & Alcibiade, qui ipsi in primis objiciebantur, se absolvere potuisset, quos civium omnium naturà ambitiosissimos à pueris fuisse nemini fuit eo tempore ignotum. Itaq; Aristoteles, ne ex eadem causà vocari in judicium capitis posset, honestà causatione periculosam etatem ab Ethicis acroasibus exclusit. Accedebat, quòd virtutem

o) Ælian  
 lib. III.  
 var. hist.  
 c. 36.



tem doceri posse contra Platonem jam diu asse-  
reret. Si ergo contingeret, ut è scholâ virtu-  
tis plurimi nibilo meliores redirent, facile præ-  
videbat adversantium voces, culpam hanc à di-  
scipulis rejecturorum in magistrum, ut qui rem  
docere suscepisset, nullâ disciplinâ parabilem,  
sed à solâ naturâ divini numinis beneficio ex-  
spectandam. Sic enim in Menone Socratem  
Plato differentem inducit: si virtus à doctrinâ  
proficisceretur, nullam rationem dari posse, cur  
optimorum plerumq; parentum pessimi evade-  
rent filij, ut Themistoclis, ut Aristide,  
ut Periclis, ut aliorum, quos nominat in ap-  
pellans id procul dubio & cupisse impensè, & o-  
peram dedisse ait, ut quàm simillimos sibi vi-  
derent liberos. Hujus sententiæ contrariam  
Aristoteles defendit. Quibus id argumentis  
faciat, non opus hîc exponere. Cognoscetis hoc,  
lectissimi Adolescentes, ubi ad secundum librum  
Nicomacheorum, volente Deo pervenerimus.  
Non possum tamen, quin hoc loco breviter re-  
spondeam Platoni, quia intelligetur hâc occasio-  
ne, qualis fuerit eâ etate apud Athenienses ju-  
ventutis institutio, quæ profectò in primis excu-  
satum præstare Aristotelem debet. Quod e-  
nim probissimorum civium tam degeneres es-  
sent filij, non ea causa erat, quam Socrates apud  
Platonem affert: sed vel alia, vel hæc etiam  
inter

inter primas, quòd virtutis nullus fuisset apud Athenienses præceptor idoneus, parentes autem ipsi præceptorum partes suscipere occupationibus publicis vetarentur. Fatetur ipse Socrates, sæpenumero se, si qui essent virtutum magistri, omni studio investigasse, sed qui hoc nomen mereretur, invenisse neminem. Etsi enim, qui tùm in Scholis regnabant, Sophistæ, ut aliarum rerum omnium, ita virtutis quoque doctrinam mercede profiterentur, eorum tamen consuetudine deteriores ferè factos discipulos satis comprobasse, quàm ineptis ad hanc rem usi fuissent magistris. Unum illorum Gorgiam tam ingenui pudoris repertum, ut eloquentiam quidem promitteret discipulis, virtutis autem doctorem jactare se nec unquam ipse voluerit, & socios riserit jactantes. Hæc ita de sua ætate Socrates. Cujus si verissimum semper elogium habitum fuit, quòd primus omnium philosophiam è cælis devocaverit in terram, hoc est, de virtutibus & vitiis potiùs, quæq; inter homines agerentur, quàm de caelestium corporum magnitudine atq; intervallis quærendum putaverit: dubitari non debet, quin anteam apud Athenienses moralis doctrina nulli fuerint magistri. Fortuna autem ejus in hac professione ejusmodi fuit, ut in temporum quoque sequentium philosophis facilè extinguere po-

tue-

tuerit tam ingratae plebis liberos ad honestatem  
 revocandi. Ac nescio sane annon Atheniensium  
 Remp. haec maximè afflixerit clades, quòd juve-  
 nibus de bonâ institutione non satis prospexe-  
 rit. Mirum hoc videri possit de Civitate, quæ  
 sapientiae laudibus præ cæteris semper floruit:  
 sed de iis temporibus loquor, quibus improbi  
 meliore esse conditione cœperant, quàm probi,  
 quòd Xenophon p) Atheniensis ipse deplorans,  
 nec laudare ausus, quo pacto excusaret, nihil  
 invenit, nisi quia populari statui ista maximè  
 ratio congrueret, ut mali bonis dominarentur.  
 Equidem, quin pueros suos artibus liberalibus  
 instrui diligenter curaverint, nolim abnuere.  
 Verùm nihil minus harum numero compre-  
 hendebatur, quàm morum doctrina, nisi fortas-  
 se grammatica, gymnastica, musica, aut scien-  
 tia pingendi (his enim artibus liberalium doctri-  
 narum ambitus circumscribebatur) virtutem,  
 animis nostris ingenerant, quod tamen integrâ  
 Epistolâ, eâque satis prolixâ philosophus Sene-  
 ca q) negat. Taceo, quòd pueris pedagagos  
 servos præficiabant, bellissimos scil. virtutum  
 doctores: omitto, quòd luxu & varietate vestiũ  
 animos, ciborum saturitate corpora eorum  
 emollicbant. Quales igitur hoc pacto fieri  
 potuerint juvenes Attici, in aperto est. Non  
 inficior, bonos evasisse grammaticos, oratores  
 disertos, disputatores subtiles, equites perfe-

p) de A-  
 then.  
 Rep. ab  
 init.

q) Ep. 88.  
 al. 89.

Etos, Musicos excellentes, pictores non ineptos. Caterum si de moribus quaeratur, tales ajo per istam educationem effectos, quales in Comædiis veterum verissimo schemate producuntur in scenam, scortatores impuros, bonos aleatores, ganeones perditos, callidos impostores, mendaces, perjuros, verbo ut absolvam, vitiis omnibus inquinatissimos. Non enim, cum ex ephebis excessissent, astringebantur imperio alicujus magistri, qui verecundiam, sobrietatem, temperantiam, modestiam, & id genus alia inculcaveret: sed, ut Pamphilo Terentiano, liberius vivendi dabatur potestas, quæ servorum ac parasitorum improbâ consuetudine accedente vix poterat aliter, quàm in omnem nequitiam progerminare. Hoc illud est, quod in suis etiam temporibus accusat Plutarchus libello de educatione liberorum, pueris quidem pedagogos ac magistros præfici, adolescentum impetûs nullo frenari imperio, qui tamen tantò majore custodiâ opus haberent, quantò graviora sint adolescentum flagitia erratis puerorum. Haud paulò rectius habebant hæc apud Lacedæmonios, qui egressis pueritiæ fines nequaquã istiusmodi licentiam indulgebant, sed quod in pueris erat inchoatum, laboribus exercere pergebant, assuecebantq; sub publicis magistris virtutem cum in sermonibus usurpare frequenter, cum factis

factis exprimere, ut merito & a Xenophonte r) hoc nomine liberaliter laudati sint, & reprehendere ipsi aliquando publice Athenienses potuerint, quod scientiam quidem rectorum haberent, sed facere eadem non vellent perinde s). Apud Persas autem instituenda juventutis rationes tam prudenter disposita fuerant, ut in omnis Gracie institutis nihil simile reperiat. Quam enim diligentiam Gracorum pueri liberalibus artibus impendere docebantur, eandem Persae suos tenerrimam aetate tum aliis virtutibus addiscendis, tum justitia imprimis, in loco publico adhibere instruebant. Quo in studio adeo feliciter proficiebant, ut Cyrus vix duodecennis apud Astyagen avum vere gloriatus fuerit t), se jam examissim callere justitiam, quam hujusmodi quodam periculo didicerit: Fuisse enim a Magistro alius judicem constitutum, delatamque ad se a duobus pueris controversiam, quorum grandior alteri tunicam laxiorem per vim eripuisset, reddita breviori, sed quae illius corpori magis conveniret, secundum grandiosem pronunciaffe, quod verum videretur, ut haberet uterque vestem staturae suae aptam: verum hujus judicij poenas verberibus ubertim a magistro dedisse. Qualem juvenum apud Persas putemus institutionem fuisse, si hac puero-rum fuit? Quae omnia eum in finem a me com-

r) de  
Rep. La-  
cadem.

s) Cic. de  
Senect.  
p. 90.

t) Xe-  
noph. l. II  
Cyporæ.

memorantur, Auditores, ut ex Atheniensium cum Lacedaemoniis ac Persis comparatione aestimetur, quantum tutius expeditiusque horum, quam illorum adolescentes assumi ad doctrinam morum potuerint, neque amplius succenseatur Aristoteli, ab Attica juventutis suscipienda correctione tantoperè resiliendi. Ut enim opera pretium faciat morum praeceptor, imprimis in puerili futuri auditoris assuefactione situm est. Quae laudatur & illa quidem in Theoretica philosophiae partibus, verum si absit, non adfert tantum detrimenti, quod non utcumque superari possit. In morum disciplinam quantum noceat perversa educatio, vel Hipparion Dionis u) puer documento sit, quem, cum pater absente se pessimè corruptum appositis custodibus in viam reducere vellet, se ipsum è superiore parte adium deiecisse, atque is interuisse accepimus: usque eò commutatam vivendi rationem ferre non potuit. Multa hinc Auditores Optimi, praeterea, de necessitate rectae educationis dici quae possent. Vereor enim, ne jam nimis excreverit modus orationis meae. Quare nec illud afferam, praestantissimum quemque philosophum, qui scilicet mores alienos regere sapientiae praeceptis decrevisset, si quis ei objiceretur jam perditus & depravatus, noluisse vinum istud salutaris doctrinae aceto confundere, seu, ut Pythagoras

dixit.

u) Corn.  
Nepos  
in Dio-  
ne.

αἰνῆσι μὲν ὅτι loquebatur, cibum reponere in  
 matellâ: nempe quòd pravâ educatione cor-  
 ruptos censerent plus damni & dedecoris con-  
 sciscere sanctissimæ philosophiæ, quàm ab eâ re-  
 ferre utilitatis. Quorum præjudiciis quis non  
 intelligit causam Aristotelis juvari vehementer  
 posse? Tantum hoc ergò ostendam, Aristotelis  
 quog, temporibus talem fuisse Atticæ pubis de-  
 pravationem, qualem paulò antè descripsimus.  
 Quod tamen non aliunde, quàm ex ipso Aristo-  
 tele, depromptis aliquot ejus testimoniis, jam  
 quidem declarare libet. Is quarto capite  
 libri primi expressè dicit, eum qui dignè sit de  
 ratione honesti & justì auditorus, oportere esse  
 benè moribus institutum, & quidem ἐκ νέων, ut  
 alibi x) addit, similia quog, reperens in fine  
 Ethicorum y). Annon, Auditores, si hæc sen-  
 tentia cum eâ comparetur, quam præcedenti ca-  
 pite propositam ita flagellant importuni Cen-  
 sores, ubi scripserat, non esse moralis philoso-  
 phiæ idoneos auditores juvenes, fortiter infere-  
 mus, adolescentes illos, quibus Ethicam scholam  
 præcludit, pro malè institutis atq, educatis eum  
 habuisse? Ut mirum sit profectò, cum ista sen-  
 tentia vix integrâ pagellâ ab se disjungantur,  
 tam negligentem esse quenquam potuisse, ut ad  
 eas inter se contendendas non adjiceret ani-  
 mum. Sed quid faciamus illis hominibus, quo-

x) II. Ni-  
com. 3.

y) X.  
Nic. 9.

rum mentem invidia Aristotelici nominis excavit? Sunt in promptu & alij loci, qui non obscure convincant, displicuisse Aristoteli juvenum sui temporis in Atticâ civitate institutionem. Leguntur ij extremo librorum, quos ab eo Politicos habemus. Ibi non tantum Lacedæmoniorum circa liberos educandos consuetudinem nominatim commendans, Athenienses suos tacitâ præteritione reprehendit capite primo, sed & mox secundo capite, ubi jam definiendum esset, qualem utriusq; ætatis educationem esse deceret, si usitata disciplina inspicereur, *μεγαλὴν οὐκ ἔστιν*, hoc est, horribilem & turbulentam disquisitionem hanc esse conque-ritur. Quamobrem obsecro? Nempe quia metuebat, si ostenderet longè aliâ informandorum juvenum ratione opus esse, quàm quæ vulgò Athenis obtineret, ne Reip. leges concussisse accusaretur, & in Socraticam se fortunam indueret. Itaq; facit & ibi quidem de studio virtutis mentionem, sed ita contemperans omnia tractatione artium, quas vocabant liberales, in quibusq; solis juvenes exercebant, facile ut appareat, hos scopulos circumnavigare eum voluisse, ne proprie salutis faceret naufragium. Venitq; hic in mentem suspicari, si fortasse hæc causa sit, quamobrem (id quod in confesso est apud interpretes,) opus Politicorum non consum-



matum habeamus, tanquam non reperiente  
philosopho, quo pacto satisfaceret instituto, nec  
sibi tamen extremum crearet periculum. Certè  
quantum nobis reliquit Politicorum, in hac tra-  
ctatione deficit, neq; eam, uti solet aliàs, abso-  
luta investigationis formulã concludit. Quid-  
quid autem hujus sit, satis opinor explanasse me  
hactenus, gravissimas eum causas habuisse, cur  
sibi cum juvenibus nihil intercedere negotij in-  
matutinã ad virtutem informatione voluerit.  
Restat ut jam quoq; edisseram, quamobrem no-  
stro seculo eosdem ab Auditoriis Ethicæ doctrinæ  
publicis non tantum non absterreamus, sed o-  
mnibus invitemus modis. Quod, benevolen-  
tissimi Auditores, ne nimis abutar patientiã  
vestrã, quàm breviter potero, exequar, præser-  
tim cum nemo sit adeò rudis temporum nostro-  
rum, qui non hoc ipse comminisci per se facile  
queat, aut etiam colligere ex iis, quæ jam dicta  
sunt. Utinam autem ab institutione juvenum  
nostrã petere possem hujus discriminis argu-  
mentum! Quàm valdè vereor (qualis quidem  
vulgò est, & apud plerosq; non enim omnes ei-  
dem querelæ involvere convenit,) ne habeamus  
Atheniensium istis moribus non multò melio-  
rem. Certè quæ sit adolescentibus vivendi li-  
bertas, quem lateat, opinor esse neminem. Sed  
nolo mihi hujus diei serenitatem deplorandis

temporum nostrorum injuriis offuscare. Ferendum est nobis malum publicum, cui medicinam adferre non possumus, & cogitandum interim, ut iis officiis, quae nobis mandata sunt, morem geramus. Sive igitur nobis optimè institutè juvenes in Academias mittantur, (quales quidem vos esse, Studiosi ornatissimi, mihi persuadeo,) sive (quod nolim ominari,) sit hac in parte aut indulgentiâ parentum, aut seculi infelicitate aliquid omissum: non commitemus certè, ut doctrinæ nostræ avidus ab his subsellis, in quibus Moralis philosophia præcepta excipienda erunt, arceatur. In quo rectè nos facere satis demonstratum est ab iis, à quibus culpari Philosophum audivimus. Id si cui discrepare à consulto Aristotelico videatur, is velim consideret, longè aliam esse rationem Professoris horum temporum publici, quàm fuit olim Aristotelis. Hic scholam aperiebat pro suo lubitu, non publicam (neg, enim ulli Philosopho munus docendi ab Atheniensibus erat impositum, aut constitutum præmium ex ærario,) sed privatam, cujusq; leges ipse ponere suo posset arbitratu. Quare cum nollet inde procedere quengquam, cujus pudere præceptorem posset, in eligendis eniq; discipline auditoribus eum adhibuit delectum, qui huic proposito commodissimus videretur. Porro vivebat in eâ civitate, in quâ pessime

sima fraudi fuisset innocentissimo hominum  
 Socrati perversos juvenes moribus expolien-  
 dos suscepisse. Apud nos alia sunt omnia.  
 Præceptores publicâ autoritate piissimi Princi-  
 pis mittuntur, salario annuo eorum opera con-  
 ducitur, ut intelligant, leges se docendi non  
 ferre, sed accipere, neminemq; deprecandum  
 sibi esse auditorem, quem civitate donaverit A-  
 cademia. Neq; Serenissimi Electoris ea est in-  
 clementia, ut improbitatem Auditorum Profes-  
 soribus imputet, siquidem hi faciant officium  
 suum: Quamquam sperare potius libet, etiam  
 auditores nostros à gravi reprehensione immu-  
 nes fore. Sanè quasivit hoc illa lex nostra, quæ  
 vult unumquemq; habere privatum præcepto-  
 rem, videlicet cujus consuetudine præparetur  
 ad semina publicæ doctrine majore cum fru-  
 ctu accipienda. De me quidem, Adolescentes  
 ingenui, sic habetote, uti lectionibus meis copio-  
 sam vestram præsentiam maximè exopto, ita  
 operam daturum, ut non tantum Aristoteles à  
 vobis intelligatur, rerumq; jucundarum pariter  
 & utilium cognitione pascamini, sed & (quod  
 postulari à me in primis intelligo,) studium vir-  
 tutum in vobis magis magisq; accendatur. Quâ  
 in re multum me adjuvabit voluntas vestra, si  
 firmâ animi inductione statueris, percipienda

proponi Ethica dogmata, non tam, ut eorum pulchritudine mentem oblectetis, quam ut ea vite morumque elegantiam & rectitudine exprimitis.



## DE VERSIONIBUS LATINIS NICOMACHEORUM

*Commonefactio brevis.*

**N**icomachea, ut operum Aristotelis moralium perfectissima semper habitata sunt, quo nomine & κατ' ἐξαιρέτων Ethica appellari solent: ita quam plurimos invenerunt, qui latinè vertendis iis insudarent. Vetustissimæ interpretationes duæ memorantur a): una, quam ex Arabe lingvâ b) traductam constat post Averrois tempora, quæ quoniam anterior est, *vetus* appellatur: altera *posterior* & *novior*, à Britanno quodam Prædicatorii ordinis monacho, rogatu confratrum, traducta. Neutrius

*Versiones  
totius  
operis  
vetustis-  
sima:*

a) à Leon. Aretin. IV. Epist. ult. & VII. 4.

b) conf. Aventin. lib. II. f. 535 & Conring. de antiq. Acad. p. 95. seq. Arabem Aristotelis interpretem Mattheum vocat Franc. Patric. Tom. I. discuss. Perip. lib. XI. f. 146. ubi & Aristotelis versores ex Averrois alios quatuor nominat, Alkindum, Isaacum, Albefagar, & Joannem.

trius interpretis nomen compertum habemus. Posteriores tamen hunc *Henricum* fuisse *Brabantinum*, qui & *Thomas Cantipratanus*, & *Gulielmus Mœrbecanus* usurpatur, & A. 1270. vixit, suspicio nostra est c), ut fortasse pro Britanno Brabandinus legi debeat. Hoc manifestum, *Boetio* d) has versiones, perperam olim fuisse imputatas. Eas renascentibus humanioribus literis circa annum 1415. e) insecuta est versio *Leonardi Bruni Aretini*. Aretinum exceperunt magno numero translatores alii, *Joannes Argynopylus*, *Jacobimus Perionius*, *Nicolaus Grucbius*, *Dionysius Lambinus*, *Adrianus Turnebus*, f) *Petrus Victorius*, *Victorinus Scrigelius*, *Bernardinus Tre-*

recentiores:

c) è collatione cum iis, quæ de hoc scribunt *Aventin.* lib. VII. f. 566. *Valer. Andr. Biblioth. Belg.* p. 330. 343. 833. *Trithem. de script. Eccl.* p. 90.

d) *vid. Aretin. & Patric. d. l. & conf. Avent. d. l. & Virg. Saltzb. Moralog.* f. 22: e) *Patric. d. l. f. 147.*

f) *Turnebi versionem viri docti, ut video, illam vocant, quæ cum ejus præfatione addito textu græco (Basil. 1573. & 1592.) prodiit, & à Palthenio præterea Commentariis Magirianis Francof. 1608. intertexta est. Certè quæ Simonius ad I. Nicom. p. 57. Lambinus p. 20. ed. Zving. & Muret. p. 64. Turnebo tribuunt, hæc leguntur. Turnebus tamen in illâ præfatione versionem istam non sibi, sed cuidam literarum studioso, quæm non nominat, transcribit. Nec eam Tomo II. Operû Turnebi, quæ versiones ejus cõplectitur, reperias.*

recentis-  
sima.

Versiones  
librorum  
aliquot.

*Trebatius*. Quem ultimum Bibliotheca Oporini *g*), reliquos Matthias Bergius *b*) commemorat. His omninò addendus venit *Jo. Bernardus Felicianus*, qui unà cum Græcorum *i*) scholiis totum Aristotelis textum transtulit *k*). Nec obliviscendi *Antonius Riccobonus*, & *Tarquinus Gallutius*, quorum ille A. 1596. *l*) hic nostro hoc seculo *m*), atq; adeò, quod sciam, novissimè latinas Nicomacheorum translationes nobis pepererunt. Videtur & ex Indice Altero Auctorum *n*), qui Casaubonianæ Aristotelis editioni *o*) accessit, *Andreas Bilius*, & è Giphanio *p*) *Vicentinus* quidam interpres addi debere. Quin & ipsum *Hubertum Giphanium* suspiceris *q*) versionem Nicomacheorum molitum esse, sed ea tamen nullibi comparet. Interim hi, quos dixi, integrum opus vertendo absolverunt. Laboratum ab aliis est in parte saltem, ut ab

Jaco-

*g*) p. 31. *b*) pref. ed. suæ p. 8. *i*) *Eustratij, Aspasij, Adich. Ephesij, aliorum* *k*) *Venet. 1589. in fol. quæ ed. tamen non est prima. Vidi & aliam Basileensem. Legitur aliàs Feliciani versio etiam Tom. III. edit. Latine Arist. cum Averroe Venet. 1562. in 4. l*) *recusus Hanob. 1610. in 8. cum comment. m*) *prodiit cum explanatione & Quæstionibus duob. Tomis Paris. in fol. prior A. 1632. posterior A. 1640. n*) *tit. Ethic. o*) *græcolatin. Aureliæ Allobr. 1605. in fol. p*) *p. 4. ad Nicom. q*) *è d. l. adde. quòd & Politicorum conversionem eousq; dedit, quousq; commentarios.*

*Jacobo Lodoico Strebæo* r), quem Index modo allegatus libros aliquot vertisse testatur. Primum aliàs librum inter commentandi susceptum negotium transtulerunt *Simon Simonius* s) & *Audomarus Taleus* t), ille tamen integrum, hic usq; ad ultimum caput. Simili occasione *Petrus Martyr* u) primum & secundum, reliquam operis partem universam *Joachimus Camerarius* x), ut videri hic possit, si illius conatum vidit, de industriâ rem ab eo inchoatam perficere voluisse. Quintus liber singulares interpretes nactus est *Philippum Melancthonem* y), *Vitum Amerpachium* z), & utroq; posteriorem *M. Antonium Muretum* a). Noni particulam cum decimo toto *Matthias Bergius*, ut ipse fatetur b), in latinum convertit. Tot ergò in uno opere sudaverunt interpretes. Non libet censuras de omnibus inquirere, nec omnes tamen præteribuntur. *Vetus translatio*, barbarah-

De inter-  
prete veteri.

r) hujus versionem obiter notat *Lambin. ad c. 6. Lib. II. s) (Genev.) ap. Jo Crispin. 1567. in 4. t) simul ed. cum prælect. ejus in Cicer. Francof. 1583. in 8. u) edidit post ejus obitum, filius A. 1582. Tiguri in 4. x) Francof. 1578. in 4. y) vid. *Myl. Chronol. script. Ph. Mel. sub A. 1532. exstat autem in Com. Eth. Philip. VVitebergæ dicto anno vulgatis. z) edidit hanc versionem cum enarratione ad magna Moral. Basil. 1554. in 8. a) Com. ad Nicom. p. 308. seqq. b) præf. ed. sue p. 13.**

de Argy-  
ropylo:

de Victo-  
rio.

de Perio-  
nio.

habetur illa quidem, sed quia de verbo expref-  
fa, variam exinde græci textus lectionem ve-  
nantur passim Muretus, Giphanius, alii. Si  
eam intelligunt, quam supra ex Arabico hau-  
stam ostendi, nescio an satis prudenter, quan-  
quam habet ea res, quoniam & Arabs verbum  
verbo c) reddidit, excusationem. Sed for-  
tasse veteris nomine alteram illam designave-  
runt. *Argyropylos*, homo græcè, beneficio  
nationis, doctissimus, latinè non rudis, facile  
meruit, ut versio sua, quam fidelem dedit, cæ-  
teris eo tempore & aliquandiu post consensu  
publico anteponeretur. Quam & in hac A-  
cademiâ seculo superiore singulis annis legi  
& continuari solitam scimus d): imò & no-  
strâ memoriâ Jacobus Martini e) eam & *Vi-  
ctorij* omnibus præferre non dubitavit. Hie-  
ronymi certè Gemusæi editio operum Ari-  
stotelis latina f) tota propè versionibus Ar-  
gyropyli referta est. Sed cum in illâ nitor  
adhuc sermonis desideraretur, *Perionius* op-  
positâ suâ latiniorè perniciem illi g) machi-  
nari paravit, successurus Argyropylo submo-  
to, si cum eo ut dicendi elegantiam, sic fidelita-  
te certasset interpretandi. Cujus laudis dum  
nia

c) *Patric. discuss. f. 146.* d) *ex indicio Virgil. Saltz-  
burg. præf. Moralogy.* e) *præf. Synops. Eth.* f) *Ba-  
sil. 1548. in fol.* g) *vid. Lambin. præf.*



nimum securus suo arbitratu h) reddidit sensum, omissis etiam sæpè aut additis quæ visum est. (parem licentiam, si non majorem, in *Strigelio* notes,) *Gruchium* i) in se atque *Lambinum* excitavit, qui versionibus cum suis certiore eventu, quàm ipse *Argyropyllum*, pepulerunt. *Lambinus* imprimis: nam penes hunc regnum tandem stetit credas. Retinuit eum *Zvinggerus* k): retinuit *Aristotelis* editio *Casauboniana*: commendat mirificè *Camerarius* l); omnibus præfert *Simonius* m), (nisi quòd *Turnebi* n) versionem non facit minoris:) omninò, vel ex maximâ parte id quod voluit, consecutum judicat *Muretus* o). Non frustra addidit: ex maximâ parte. Nam ipse postea suis in *Ethica* commentariis *Lambiniana* non semel p) damnat: negat & *Giphanius* q) ea esse accommodata: *Bergius* r) verò infinitis penè in locis à sensu auctoris aberrare dicit. Quæ & ipsum movit causa, ut *Lambini* versionem, cum non prorsùs abjicere cogitaret, interpolaverit.

de Strigelio:

de

Gruchio:

de Lambino:

de

de Turnebo:

de Bergio

pas-

h) Verba sunt Bergij præf. p. 10. Simonius ejus versionem, ut absurdam prorsùs & à scopo Arist. aberrantem damnat. add. Montor. ad lector. prior. Analyt. b. 2. i) Lambin. præf. k) ed. Basil. 1566. in 4. l) m) uterq; epist. nuncup. n) laudat eandem Giphanius q609 p. 4. o) epist. quæ edit. Lambin. præfigitur. p) ut p. 30. 62. 173. 202. q) p. 4. r) præf. p. 110

*de Cameo  
rario:  
de Mure-  
to.*

passim, ut novam finxisse videri queat. San-  
immeritò illi à plerisq; vulgò *Camerarianam*  
postponi, unum denique *Muretum* reliquis  
longè præferendum cenlet s). Qui utinam  
totum opus reddidisset! Sic enim cum Gi-  
phanio t) vovere libet.

s) *ib. p. 10.* t) *d. l.*

**F I N I S.**



10. Juli 1886

28. 08. 86

Let. Graae. B. 3200.

Lit  
3